

Geschichte von Vicenza des  
Gerardus Maurisius

A 49/13

Maurissius

This is an ancient  
book (Manuscript) and Bemal  
figures are with inscriptions  
like we have now Ms. & book  
fotket von Eberhard Ley.

45

GERARDI MAURISII  
proeliando, per murum Civitatis violenter  
ascendendo, & descendendo intraverunt Civi-  
tatem, fugatis custodibus, & aliis Ma-  
nis resistentibus.

46

GERARDI MAURISII  
A non Domini de Romano, non pronuncian-  
do, non affines, non & alii Ma-



IN GERARDI MAURISII<sup>3</sup>  
HISTORIA M  
PRAEFATIO  
LUDOVICI ANTONII  
MURATORII.

**C**irciter Annum 1237. floruit Historiae hujus Scriptor, nempe *Gerardus Maurisius*, Civis, ac Judex Vicentinus. Tunc Civitati Vicentiae dominabatur Eccelinus de Romano, sive Rumano, filius Eccelini Monachi, & agnomine Tertius, qui nuper Patavinam quoque Urbem suo adjecerat imperio. Hinc factum, ut Maurisius, quo Eccelinum dominum sibi demereretur, ejus gesta ad eum usque Annum describenda sumserit: hujusmodi nempe est praesentis Historiae argumentum. Praeterea in ejus majorum gloriam Maurisius excurrit, multasque laudes cumulat Eccelini ipsius, ejusque fratri Alberici, ac illustris Familiae de Onaria, sive de Romano. Petat autem aliquis: nonne hic Eccelinus ille est, quem tanta crudelitas, ac immania vitia non suo tantum, sed futuris etiam seculis infamem, execrabilemque efficit? Ita est: impius ille furcifer, ille teterrimus Tyrannus hunc habuit Historium simul & laudatorem. Ergo, inquies, abeat in malam rem homo, qui probro sibi non duxerit monstrum omnium abominatione dignum per sua scripta commendare posteris. Sed bona verba. Quum hæc Maurisius scripsit, animadvertisendum est, nondum Eccelinum humanitatem exuisse, nondum in scelera, ac belluinae feritatis facinora effusum. Adhuc erant in eo Virtutis semina, ac proinde potuit Maurisius sine dedecore ejus acta literis consignare. Nam quae ille egit infandæ crudelitatis, pleraque serius egit, eaque in Patavina Urbe. Non est ergo mirum, si Maurisius Eccelino thus adhibet, quando tempora tantummodo subsequuta exosum hominem coelo terraque effecere. Quod ergo Gerardus Johannes Vossius de Histor. Latin. Lib. 2. Cap. 57. de Maurisio scripsit, nempe eum exorsum Historiam Vicentinam ab Anno 1183., ac perduxisse ad Annum usque 1240., quemadmodum suis eum literis edocuerat Felix Osius, omnino cum veritate non consentit. Nam, ut ut demus, ab Anno quidem 1183. ejus Historiae exordium sumi, at certe ipsa concluditur in captione Fratris Jordani de Padua, & in obsidione Castri S. Bonifacii ab ipso Eccelino de Romano facta: quae certe, Rolandino teste, contigerunt Anno 1237. scilicet antea quam Eccelinus feritati & vitiis lora solvisset.

Primus, qui *Gerardi Maurisii* Historiam e tenebris in lucem perducere meditatus est, fuit supra laudatus Felix Osius, eamque ab ipso jam paratam, ut ederetur, conjicio. At illius consilium simul ac vitam mors intercepit Anno 1631. Quare opera, ut puto, Clarissimi Viri Dominici Molino Nobilis Veneti haec prodiit Anno 1626. Venetiis ex Typographia Ducali una cum Rolandino, Monacho Patavino, Albertino Mussato, aliisque Marchiae Tarvisinae Scriptoribus. Anno deinde 1710. eadem Historia iterum vulgata est Hanoverae a Celeberrimo Viro Godefrido Guilielmo Leibnitio, & inlata in Tomum Secundum *Scriptorum Brunsvicensia illustrantium* pag. 23. Cur ille in Germanicae Historiae consortium Italicum hunc Scriptorem adsciverit, ea causa fuit, quod Maurisius tum de *Ottone IV. Augusto*, quem Serenissima Brunsvicensis Familia Romano Imperio Principem dedit, tum de *Marchionibus Estensibus*, communem cum Brunsvicensi Linea sanguinem habentibus, non pauca habet, quae alibi frustra requiras. Sed haec praestat audire ex Leibnitio ipso, cuius Praefationem propterea recudendam censui. Ceterum quum de Estensibus hic Scriptor agit, animadvertisendum est, ipsum ab Eccelino stetisse, nempe adhaesisse homini, qui internecino odio in Estenses ferebatur; ac propterea dum ipse Historicus aliqua in eorum laudem profert, fidem piae reliquis exigere.

IN GERARDI MANTEN  
HISTORIA  
SÆFERIA  
LUDOVICATI  
GREGORIUM

# GUILIELMI GODEFRIDI<sup>5</sup> LEIBNITII P R A E F A T I O.

**C**um Felix Osius *Vir doctus, Professor Patavinus, bortatu Dominici Molini Senatoris Veneti, ab eruditis sui temporis passim celebrati, Historiam Henrici VII. Augusti, ab Albertino Mussato contemporaneo scriptam, edere moliretur: Scriptores aliquot alios ineditos addere constituit, qui de rebus Marœ, quam olim Veronensem, hodie Tarvisinam vocant, idest, partis Longobardiae, Venetis vicinæ scripserant. Obiit Osius, antequam editionem absolveret; quæ tamen Molini favore & Laurentii Pignorii cura perfecta est Anno Dom. 1636. Ex his Scriptoribus visus est nobis collectioni nostræ inseri dignus antiquior cateris Gerardus de Maurisio, causidicus ac civis Vicentinus, & aliquando *Judex urbis*, ut habetur in fine operis, natus Petro quondam de Maurisio milite, qui stetit à partibus Friderici II. Imperatoris & Ecelini de Romano, contra Pontificem Romanum & Marchiones Estenses, idest, à parte Gibellina contra partem Guelfam; cùm contra Monachus Paduanus, ab Urstisio editus, & Rolandinus editus ab Osio, aliisque penè omnes Pontificis partes tueantur, & in Imperatorem sint iniqui. Sed Maurisius ante ruinam Ecelini tertii ( secundò nati ) scripsit: cæteri fortunam fecuti videntur. Quanquam ego Ecelinum hunc tueri nolim, cuius crudelitatem, & tyrannidem omnes in ore exagitant; quæ cùm Maurisius scriberet, nondum credo ad *luxuriam* pervenerant. Sed cur Maurisium in hanc collectionem admitterem, duo fuere: primum quòd de Ottone IV. Augusto habet, quæ alibi non legenda, ad indolem tanti Principis noscendam faciunt; deinde quòd de rebus Marchionum afferit, quæ nuperi Scriptoris Romani, viri docti sed Estensibus iniquioris, opinionem refellant, qui de Pontificio in Comaclum jure Epistolâ Italico sermone scriptâ tractavit. Contendit Romanus Scriptor Estensibus Marchionum bonorem non ante competuisse, quām Azo Estensis ab Innocentio III. Marchio Anconæ renuntiatus est. Sed Maurisius noster adversus Estensibus, & hosti eorum favens, eoque credibilior, cùm ipsorum dignitati testimonium perhibet, Azonem jam Marchionem Estensem vocat ante Annum 1204., idest, multo ante, quām Marchiam Anconitanam obtinuit. Narratque, Marchionem Estensem Ecelino Secundo, Senioris Ecelini filio, contra Patavinos astitisse; sed hunc postea Veronensibus contra Marchionem auxilio fuisse, qui ad potestatis honorem Veronæ electus, & deinde expulsus fuerat: mox tamen, repugnante licet Ecelino, Veronam recepit. Idem Marchio tunc & Salinguerram Ferraria expulit, & jam cum amicis Veronam, & Vincentiam, & Ferrariam tenebat: quas tamen mox rursus amisit. Hoc rerum statu Otto IV. Rex, ad recipiendum Imperii Diadema in Italianam vénit, & Marchionem, Ecelinumque, & Salinguerram ad se vocavit, deditque operam, ut conciliarentur. Qua in re & moderatio Imperatoris & auctoritas enituit; & jucunda lectu sunt, quæ de colloquio ipsius cum Marchione, & Ecelino habentur, ubi & apparet, Ottонem Aug. Gallico sermone usum, & ab Italis fuisse intellectum. Et mutanda ibi nonnihil interpellatio est; nam pro: equitando cum ipso in Francesco, dixit Dominus Rex, &c. sic distinguendum est: equitando cum ipso, in Francesco ( idest Gallicè ) dixit Dominus Rex. Porro rébus compositis, Azonem ad Marchiam Anconitanam ( quam ei contulerat ) regendam misit, Ecelinum secum Romam duxit; eique deinde reversus, Vicentinæ civitatis regimen credidit. Ex quibus intelligitur, Estenses dudum Marchiones fuisse, antequam Anconam obtinerent, & hanc ab Imperatore accepisse; et si postea, Imperatore cum Papa colliso, hujus quoque concessionem Marchio expetierit. Quin multo ante sub Imperatore Friderico I. Obitio Marchio Estensis auctoris nostri testimonio firmatur. Ita enim non procul ab initio operis de Ecelino avo agens: Hujus ( inquit ) tanta fuit discretio & scientia, quod, quamvis gravissimè Lombardi Imperatoriam Majestatem læsissent, & non modice contra illos fuissest Dominus Imperator indignatione commotus; tamen sic humiliiter verbis & factis supplicavit eidem, quod tam sibi, quām dictis Lombardis & Obitioni Marchioni Estensi suam indignationem dimisit &c. Itaque si Scriptor Romanus non minus Maurisium, quām Monachum Paduanum, & Rolandinum consuluisset, nunquam ( credo ) in animum induxisset suum, ut Marchionatus dignitatem, Principibus solis eo tempore convenientem, in Estensibus, à Pontifice Innocentio III. repetendam judicaret; quam penes ipsos fuisse vetustissimam, & jam decimo saeculo vigentem, aliunde certissimis documentis constat. Sed ut ad Marchionem Estensem, jam & Anconitanum factum, redeamus; ille deinde cum fortuna se circumagens, ab Imperatore ad Papam transit, & Fridericum II. contra Ottонem IV.*

secu-

secutus est, ac tandem decepsit, relictis duobus filiis, Aldobrandino & Azone, dicto novello. Tum vero Patavini, spretâ Aldobrandini Marchionis adolescentiâ, Estense castrum cum burgo, tanquam in suo districtu situm, juris sui esse contendentes, auxiliante Ecelino, obsident, & ut noster ait: vénit tunc Marchio, tanquam devictus, ad voluntatem Communis Paduæ. Monachus Paduanus rem ita narrat: cùm Nobilis Marchio Aldrovandinus nollet Communitati Paduæ subjacere, Paduani arcem Estensem cum machinis obsederunt. Videns autem Marchio, se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commodè adjuvare, pariterque sciens, quod durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis, Communi Paduæ in omnibus obedire. Hoc Scriptor Romanus arripiens, inde inferre non dubitavit, Estenses, antequam Marchiones Anconitani à Pontifice fierent, non nisi privatos fuisse cives nobiles Paduanos; parum attendens ad illorum, de quibus loquitur, temporum faciem. Sanè animadvertere poterat, Aldobrandinum jam tum Marchionem fuisse Anconitanum. Nam volebat Pontifex, ut patri succederet, de Ecclesia Romana benemerito. Itaque civis Patavini appellatio non ideo privatum reddebat: idemque locum habebat, etiam antequam Marchiones Estenses Anconam fuisser naucti, cùm dudum ex primariis Italæ Principibus haberentur. Nempe distinguendus erat Marchionatus feudum Regale, ab allodiali olim terra, qualis erat Estensis; in quam ob viciniam Patavini jus quoddam sibi vindicabant. Sciendum est enim, cùm illis temporibus primariae Italæ urbes, inter quas Patavium erat, speciem quandam Reipublicæ sibi queque affectarent; vicina oppida, Dynastasque proximi tractus, in easdem leges adigere tentasse. Pulchre rem explicat Guntherus in Ligurino diversis locis. Ita enim libro 2. canit de Italica gente:

Consulibus rerum committere summam  
Gaudet, & hos, triplici sumtos ex ordine, ( fastum  
Ne pariat diuturnus honor ) mutare quotannis.  
Vivere quemque suæ subjectum legibus urbis  
Cogit, & externos sub eodem jure potentes  
Alligat, ut terra vix inveniatur in illa  
Aut Comes, aut aliis, civili jure solutus.

Et idem mox libro tertio introducit Terdonenses Legatos, urbem Papiam vel Ticinum accusantes, quod vicinum Comitem, Regni Palatinum, in castro Lunelli residentem, sub sua jura coëgissent:

Nam præter alias, quas aut servire coactus  
Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,  
Aspice, quam turpi Lunelli nobile castrum,  
Atque Palatini Sedem, fixosque penates,  
Verterit illa dolo. Comitem civesque vocabat  
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo;  
Incautosque viros, & nil hostile timentes,  
Fraude mala captos in vincula dura coëgit.  
Ipsaque non armis, nec belli jure, sed astu  
Vel potius subversa dolo castella reliquit.  
Et nunc ille Comes, consors est Regius Aulæ,  
Ille potens Princeps, sub quo Romana securis  
Italæ punire reos de more vetusto  
Debuit, injustè victrici cogitur urbi  
Ut modicus servire Cliens; nulloque relicto  
Jure sibi, Dominæ metuit mandata superbæ.

Itaque non mirum si juvenis Marchio Aldobrandinus aliquando similia passus est, vi nihil derogante juri & dignitati. Cæterum ab aliis narratur, quomodo expeditionem Anconitanam suscepit, & brevi extinctus fratri Azoni adolescenti dignitatem familie tuendam & propagandam reliquerit. Atque is est, qui postea ( circa A. D. 1242.) Ferrariam stabili ditione, volentibus civibus, obtinuit. Obiter noto, errore, nescio quo, pro Marchione Bonifacio legi Melchiore Bonifacio, quod corrigendum est; & legi debet Aldruvandinum Marchionem alibi Lambertinus de Bononia. Cæterum memorabilis est historia Fratris Joannis Vincentini Ordinis Prædicatorum, qui religionis auctoritate aliquamdiu civitates Longobardicæ in pace continuit: sed postremo, cùm ipse regimini manus admoveret, ausis excidit.



Andrea. Oratij. in. et. del.  
Giov. Giuseppe. Oratij. sc.  
**GERARDI  
MAURISII  
CIVIS, ET JUDICIS VICENTINI  
HISTORIA INCIPIT.  
PROOE M I U M.**



Qui aliquorum  
merita, virtu-  
tes, & bona  
opera manife-  
stè cognoscit,  
scribere vel  
aliis nuntiare  
pigritatur, ei-  
dem macula  
desidie non de-  
sinit irrogari.  
Hinc est, quòd  
ego Gerardus

de Mauricio, Caſſidicus Vicentinus, cognos-  
ſens manifeſtè vitam, & operam virtutem  
& potentiam Dominorum Eccelini, & Alberti  
(1) Fratrum de Romano, & fuorum pre-  
deceſſorum, volens ipſius desidie maculam evi-  
tare, ipſorum acta mores, & vitam, poten-  
tiam atque virtutes, ut ſcientibus memoria  
non effugiat, & ignorantibus reveletur, ſub  
breviloquio ſcribere, & notare proposui. Sed  
morem largi diſpensatoris in hoc preſenti  
Opuſculo gerere cupiens, qui diſverſorum ci-  
borum genera recumbentibus ante ponit, ut  
ex diſverſorum generum ciborum aspectu diſ-  
cumentum voluntates fortius gratulentur, &  
eligendi quæ maluerint, habeant potestatem,  
preſentis Historie curſum diſverſorum gene-  
rum diſtaminis exponemus: ut, quod elegan-  
tius cuique viſum fuerit, in diſcendo prepo-  
nat, & legendi copiam habeat laxiorem. Au-  
diat nunc preſens letas; nec ignoret futura

A posteritas. Audiant boni, ut glorificantes  
Deum, meliores efficiantur. Audiant eorum  
ſimiliter impii, & superbi, ut terrean-  
tur, corriganter, & elati desinant ſuperbire.  
Videant ergo avidi diſtaminis mo-  
dos, & vel ex uno, vel altero, ſive tertio,  
vel ex omnibus ſimul diſcendi copiam habeant  
pleniorem. Verumtamen, ante noſtre loqui-  
tionis inſium, rogitare non ceſſamus, quate-  
nus noſtre non imputetur incuria, ſi in hac  
noſtre loquutionis ſerie quidam verberibus  
acerbe locutionis fuerint redarguti, quoniam  
non ex odii cauſa, ſed quia rei veritas & ne-  
gotii qualitas ac natura nos talia dicere com-  
pellunt, erit à nobis iſorum ſcripta redargu-  
tio, ſive increpatio. Et, ut bonus finis cum  
laudabili concordet principio, illius gratia  
primitus invocare teneor, & benevolentiam  
captare, pro cujus amore, & gratia retinen-  
da Beatus Petrus flevit amarè. Scriptum eſt  
enim, quòd omnia bene geruntur, & compe-  
tenter, ſi rei principium fiat decens, & ama-  
bile Deo. Et Noratus

*Dimidium facti, qui bene cepit, habet.*  
Et Ovidius: *Omnia principiis (inquit) inesse  
ſolent. Et alibi. Difficile eſt, ut bono peragan-  
tur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*  
Et propter hoc dicitur, quòd *principium eſt*  
(2) *potentissima pars cuiusque rei*, quamvis  
alibi dicatur,

*Debole principium melior fortuna ſequetur.*  
Hoc enim ſic debet intelligi, ut ſubaudiatur,  
forſan: vel, ſi Dominus voluerit, ut ſine pre-  
ſum-

(1) Lege Alberici.

(2) Forte potissima.

## GERARDI MAURISII

10

f. 11

sumptio aliqua tamē remaneat in disposi-  
tione divina: non tamen est verisimile, vel  
creendum, sicut est credibile, & presumen-  
dum, quod bonum principium bonus finis  
subsequatur. Quid enim, si bene floruerint  
segetes? Quid, si bene floruerit vinea? Quid,  
si bene floruerint olei? certe presumi debet,  
quod abundans fructuum flororum multitudi-  
nem precedentium subsequetur, sicut scrip-  
tum est per Ovidium. *silicet. b)*

*Si bene floruerint segetes, erit area dives:*  
*Si bene floruerit vinea, Bacchus erit:*  
*Si bene floruerint olei, nitidissimus annus,*  
*Pomaque, & eventum temporis hujus habent.*  
*Flore semel Ieso, pereunt vite que fabaque,*  
*Et pereunt lentes, advena Nile stup.*  
Itaque Dei Omnipotens gratiam in nostro  
principio sic duximus invocandam,  
*Qui gradiens pelagi fluctus compescit amars,*  
*Vivere qui prestat morientia semina terra,*  
*Solvere qui potuit letalia vincula mortis,*  
*Principium prestat, medium, finemque gubernet.*

*De Majoribus Dominorum Eccelini III.  
& Alberici Fratrum de Romano.*

*M*W  
*nn*  
*rr*  
*ff. 2*  
*E*st igitur sciendum, quod quidam Domi-  
ni Eccelinus fuit pater cuiusdam Do-  
mini Alberici, qui Albericus fuit pater Do-  
mini Eccelini. Et hic Eccelinus pater fuit  
alterius Domini Eccelini, patris presentium  
Dominorum Eccelini, & Alberici Fratrum de  
Romano. Pater ergo istorum fuit Dominus  
Eccelinus. Item Avus eorum fuit Dominus  
Eccelinus, eorum Proavus fuit Dominus Al-  
bericus; Abavis autem eorum fuit Eccelinus  
nuncupatus. *ff. 3* Aorum autem, scilicet Abavi  
& Proavi, tanta fuit commendatio, & bona  
fama, quod ipsius commendationis prolixitas,  
& omnium predecessorum nostrorum plena  
nequitia, si lingua nostra de ipsorum com-  
mendatione conquescat, nec in illorum lau-  
dibus, & relatione suas undas intorqueat, fa-  
tis nos rationabiliter protegunt, & excusant.

*De Eccelino Primo.*

*I*psis igitur duobus omissis, de primo Ecce-  
lino hoc est primitus notandum, quod fuit  
Vir ille difficilis, sapiens & discreetus; lar-  
gus, modestus, pacificus, & bellus; trux  
& placidus, & moderatus: & que duo, quam-  
vis contraria videantur, tamen esse possunt, &  
debent in quolibet manere potenti, scilicet  
ut supplicibus sit facilis, placidus, & beni-  
gnus: sanguinis, & inquis trux & horridus  
moderatus, sicut scriptum est:

*S*cilicet etiādem est, quamvis pugnare videntur,  
Supplicibus faciles Mortibus esse truces. *(1)*  
Hic autem, quamvis talis fuisset & tantus;  
sic fuerat tamen lingua balbaciens, quod sine  
fastidio & labore vix poterat meditata pro-  
ferre. Interim tamen ita moribus, & scientia  
ceteros precellebat in omnibus, quod, cum  
tempore quodam ivisset ultra mare, ibi Do-  
minus exercitus Christianorum, & Dux belli,  
atque vexillifer electus fuit, & constitutus.  
Cū autem inter Paganos quidam tam fortis-  
simus, & stature ingentilis cunctos Chri-  
stianos sic bellando superaret, quod nullus ei  
bellando resistere poterat, nec audiebat, hic  
tante fuit audacie, quod solitariè pugnavit

*(3) Legendum fuisset.*

A cum eodem, ipsumque videntibus Christianis  
interfecit: quod profecto mirabile, & quasi  
monstruosum omnibus visum fuit. Unde su-  
per omnes Christianos ibi tunc gloriam ha-  
buit, & honorem, & cum laudibus & trium-  
pho magnifice repatriavit.

Hic etiam fuit Potestas Vicenſe, & ipsam  
cum magno vigore, ac pacifice rexit, excepto  
quod tempore sue Potestatarum filii Ganselmi  
interfecerunt gladio Gastonem Talie, qui per  
ipsum expulsi fuerunt de Civitate sine ipse re-  
deundi; & cum ipsorum copiam habere non  
potuisset, proscribi fecit ipsorum bona, domos  
& turres ipsorum radicibus destruendo, & po-  
stea heredibus mortui concessit universa, quae  
usque in hodiernum diem adiuc ab illis paci-  
fice possidentur.

Hic etiam in diebus illis, cum tota Lombardia,  
& Marchia cum Societate sua (3) finit. *fuis-*  
set in Campo cum bone memorie quandam  
Domino Federico Invictissimo Imperatore, &  
Avo hujus nostri Invictissimi Imperatoris &  
semper Augusti, pro discordia, que inter ip-  
sum, & Lombardos diu fuerat excitata, in-  
spectis omnium hominum prudentia & moribus,  
& scientia, pro majori, & meliori factus est  
Dux, & Dominus exercitus Lombardorum,  
ataque vexillifer. Cujus tanta fuit discrecio,  
& scientia, quod quamvis gravissime Lombardi  
Imperatoriam Majestatem lassissent, &  
non modice contra illos fuisset Dominus Impe-  
rator indignatione commotus: tamen sic hu-  
militer verbis, & factis supplicavit eidem,  
quod tam sibi, quam dictis Lombardis, &  
Obitioni Marchioni extensis tuam indignatio-  
nem dimisit, & gratiam & bonam voluntatem  
recepit. Multa quoque privilegia ex Imperiali  
largitate, & voluntate benigna Dominus Im-  
perator misericorditer Lombardis indulxit, sicut  
in pace facta, & firmata apud Constantiam  
scriptum reperitur, atque notatum. Hoc fuit  
sub MCLXXXIII. Indictione prima de mense  
Augusti.

Hic postmodum Domino Imperatori toto  
tempore vita sua existit fidelissimus, devotus,  
& gratus, eidem reverentiam debitam, &  
obsequium magnifice ac mirabiliter impenden-  
do. Lombardos etiam, secundum suum gra-  
dum plurimum dilgebat, ita tamen, quod  
propter hoc Imperialis Majestas nullo modo  
gravabatur; sed potius pre ceteris ipsius Do-  
mini Imperatoris gratiam conservavit illas.

Hic tranquillam duxit vitam, & ieiitos dies  
stabilis fine clausit, unde vere felix dici potuit,  
sicut dicitur,

*Felix, tranquillam meruit qui ducere vitam.  
Et ieiostabilis claudere fine dies. (4)*

*De Eccelino Secundo.*

*S*uccessit huic alter Eccelinus, pater pre-  
sentium Dominorum Eccelini, & Alberici *(4)*  
Dominorum de Romano. Hic in opere, &  
sermone, vel facundia, & prudentia (4) mi-  
rabiliter existit, & permanxit in moribus, &  
scientia, sic patri suo equipollens, quod ab  
omnibus merito comprehendatur. Et quia fa-  
cundus in sermone ceteros precellebat, pater-  
nam gloriam minoravit in hoc. *ff. 3* & *ff. 4* *gesiam in*  
divinis, quibus dicitur abundasse.

Postea sub Millesimo CLXXXIV. fuerunt  
duo viri Electores Potestatis constituti, scili-  
cet

*(4) Melius mirabilis*

# HISTORIA.

cet Dominus Sulimanus Judex, & Pilius Vincentii, pater Alberti de Celsano, primus pro parte illorum de Vivario: alter pro parte Comitis Vicentini, quia tales erant tunc partes in Civitate, & Dominus Eccelinus erat amicissimus Dominorum de Vivario. Fertur, & verum fuit, quod hic Pilius Vincentii, socio suo ignorantiae, sic corrupit Jacobum de Bernardo civem Bononiensem, quod convenerit, promisit, atque juravit eidem, quod parti Comitis Vicentini, & amicis suis, erit favorabilior, quam parti Vivariensis, si fuerit per ipsos Electores & electus, & Potestas Vicentiae constitutus. De hoc quoque in fine sue Potestariae publicum (5) aperuit Instrumentum. Iste Jacobus per ipsos Electores electus fuit Vicentiae Potestas, & constitutus. Et quamvis regendo Civitatem, secundum promissa, parti Comitis esset in omnibus favorabilior, quam alterius parti; tamen pars Vivariensis cum Domino Eccelino pacificè tolerabant. Verumtamen hic Jacobus occasiones quæsivit duce discordia, lites plantavit, inservit odia, sicut ait Salomon, qui dixit: *Occasiones querit, qui vult ab amico discedere:* sub levissima occasione inimicavit eidem Domino Eccelino, ipsumque banniri fecit, & sic inter ipsos orta est discordia. Partes insimul pugnaverunt, & tunc pro magna parte Civitas est combusta. Tamdem pars Vivariensis cum ipso Domino Eccelino expulsa est de Civitate, cum qua parte exivit tunc bonæ memorie Pistor Episcopus Vicentinus.

Fecit tunc idem Jacobus in secundo anno se in Potestatem eligi: & sic intus, & extra Civitatem, & circum circa bella committuntur, & prælia. Rapinae quoque, & violentiae sic dominantur ibidem, quod nil opus est legibus; sed viribus arma moventur. De quo Veronenses, qui naturaliter, & non ficticie, Vicentinorum semper fuerunt amici, plurimum condolentes, venerunt ad Civitatem, & ipso Jacobo, tamquam impio & iniquo, licentiato, & de regimine, tam pravè suscepto, remoto, duos ibi posuerunt in Potestatem, scilicet Dominum Ottonellum de Turifendis pro parte illorum de Vivario, & Dominum Vermileum de Crescentiis pro parte Comitis Vicentini. Qui ambo dum pacificè regerent Civitatem, Comes Ugutio invenerit quemdam Malosilium civem Januæ, qui in oratione visitabat Ecclesiam Beati Marci de Venetiis; ipsumque cepit, & in Arce sua Medæ duxit, & in compedibus & carceribus posuit custodiendum, pro ipso dimittendo postulans ab eodem maximam pecuniae quantitatem. Veronenses autem hoc auditio cum Vicentinis contra Comitem hostiliter arma moventes, apud Arcem prædictam, ipsam diu obsidendo, castigantur sunt. Tamen ipse Comes, tamquam vir fortis, & audacissimus, viriliter se defendit. Itaque Veronenses, & Vicentini de Victoria desperati, reversi sunt ad propria domicilia. Nec dimisit eum Comes, donec ipse captivus (6) pretium sexdecim millium librarum se redemit. Illas autem habuit quiete (7), & pacificè: inde Comes sine aliqua molestia, vel contradictione.

Et, cùm de hoc humana potentia sumere

A vindictam non potuisset, divina sibi dispositio reservavit vindictam. Et in primis, cùm ipse Comes Arcem Altævillæ violenter intrasset, & pacificè detineret, quam se numquam restitutum Episcopatui, cuius erat, dicebat, donec Episcopus feudum, quod ei indicari fecerat, non restitueret: vénit tunc Dominus Pistor Vicentinus Episcopus cum paucis, & fecit insultum in illos, qui pro Comite Arcem custodiebant, qui sic celeriter fuere devicti, quod nisi divinitus processisset, non poterat (8) accessisse. Perdidit ergo propter hoc Arcem prædictam, quia, tamquam bannitus, custodibus suis non potuit dare succursum. Et iterum in illis diebus, cùm duo filii Comitis ejusdem essent in quodam vehiculo, in fosfato, in quo erat modicum aquæ, ceciderunt, qui tam celeriter perierunt, quod nullum potuerunt habere juvamen (9), quod totum divinum judicium in vindictam creditur accidisse.

O Deus, o Divina veneranda Majestas, quam admirabile, & tremendum judicium tuum! Nam quamvis potentiores pares non habeant, & per hoc credant remanere securi, humanam contemnentes potentiam; tuum tamen judicium evitare non possunt. Ecce nunc Comes iste universos Veronenses, & Vicentinos non timuerat, & una hora per te duobus filiis orbatus, exstigit cruciatus. Bene ergo scripsit Ovidius.

*Litus ad Euxinum, si quis mihi dixerit, ibis,*  
*Et metues, arcu ne feriare Getæ.*  
**I**, *bibe, dixisse, purgantes pectora succos,*  
*Quicquid & in tota nascitur Antycira.*  
*Sum tamen hoc passus, nec, si mortalia possem,*  
*Et summi poteram tela cavere Dei.*  
*Tu quoque fac timeas, & que tibi lata videntur,*  
*Dum loqueris, fieri tristia posse puta.*

*Mutatio Potestatum aliquot Vicentinorum,*  
*& de bello, quod Eccelinus gessit*  
*contra Vicentinos.*

**M**utantur Potestates, succedit illis Dominus Vifredotus, Mediolanensis civis, in Potestatem, sub cuius Potestaria excitatae sunt discordiae cum Domino Eccelino. Unde die quadam equitavit cum Vicentinis contra ipsum apud Marosticam, & bello ac prælio commissis, Vicentini Burgum totum violenter combuxerunt, & plures ibi ceperunt, & milites, & pedites, qui ducti fuerunt ad Civitatem, & in carceribus positi. Nunc versa (10) est, & tamen pars Domini Eccelini moratur in Civitate.

*Mutatur Potestas, succedit huic in Potestatum Dominus Bonapax de Brixia, qui cùm ivisset cum exercitu ultra Brentam, apud Baxianum, ex utraque parte bellando plures sunt capti milites. Dominus autem Eccelinus ira & indignatione commotus, undique collectis amicis, paravit exercitum, inter quos amicos erant Dominus Azo Estensis Marchio, & milites, ac populus Paduanus. Paduanorum Potestas erat Jacobus Strictus de Placentia, qui quamvis Domino Eccelino promisisset exercitum contra Vicentinos; tamen per me ipsum, qui eram unus*

(5) Forte apparuit.  
(6) Melius pretio.

(7) Legendum fortasse, & pacificè idem Comes.

(8) Accessisse pro Accidisse in Maurizio frequens.

Tom. VIII.

(9) Melius quod totum divino judicio in vindictam creditur accidisse.

(10) Adde, res.

13 unus de captivis in Padua carceratus, verba pacifica talia misit ad populum Vicentinum, videlicet, quod si Vicentini dimittere vellent de carceribus quinque suos milites, quos ceterant ibi apud Baxianum, ipse reddere volebat sex, quos habebat, ex Vicentinis ibidem captos, quorum ego unus fueram, & eram Procurator civitatis Vicentiae. Quod si fieret, dicebat idem Dominus Jacobus Potestas Paduae, quod toto tempore sua Potestaria contra Vicentinos profecto Domini Eccelinii non movebit exercitum. Et insuper reddere volebat vigintiocto captivos, qui diu fuerant, & erant carcerati in Baxiano per Dominum Eccelinum. Hac autem omnia cum per me dicta fuissent in communi Consilio civitatis Vicentiae, concorditer Consilium hoc facere recusavit. Unde ego indignatione commotus, in ipso Consilio, audientibus omnibus, rogavi Deum, & Beatam Virginem Mariam, quod in brevi mihi captivo sociarent omnes concionatores, qui tam pacifica verba concionando contenserunt. Et sic cursu veloci eadem die reversus fui ad Civitatem Paduae, & finita responsione legationis meae, sine mora Potestas Paduae movit exercitum Paduae contra Vicentinos tam immoderatè superbos. Venerunt itaque Paduani in servitio Domini Eccelinii, usque ad Villam Carmignani de districtu Vicentiae; & cum Vicentini tantæ fuissent audaciæ, quod cum ipsis ante pugnare presumfissent, quam verba supradicta tam pacifica recipere voluerint, bello commisso Vicentini versi sunt in fugam, & terga dederunt Paduanis. Capti fuerunt tunc ex Vicentinis numero duo millia, & ultra inter milites & pedites, & permixtim ex utraque parte tam Vivariensem, quam Comitis: denique sunt Paduae in carceribus positi. Ego autem videns venire concionatores superbos carceratos, cum maxima affectione salutavi eosdem, referendo gratiam Deo, quod oratione mea suscepta mihi sociaverat eosdem. Tunc vere impletum est illud proverbium: *Deus resistit superbis; humilibus autem dat gratiam.* Dominus autem Eccelinus cum magno gaudio, & triumpho revertitur Baxianum, & sic suppeditati sunt ab ipso Eccelino nunc Vicentini.

14  
15  
Episcopat Febri I  
superblos resistit  
Ipsi autem Vicentini, tamquam devicti, petunt & implorant auxilium Veronensem, offerentes eisdem Castra, & possessiones suas, arbitrio Veronensem recipienda, si eisdem voluerint dare succursum contra Dominum Eccelinum, & contra Paduanos. Veronenses autem omnibus spretis, naturali animo, & pietatis intuitu commoti, in succursum Vicentinorum promiserunt exercitum, (11) nisi Nuntiis suis, & Legatis captivos redderent sine mora. Missisque Nuntiis, & Legatis, cum Paduani totum pro nihilo reputassent, cum exercitu magno, & cum Carroccio venerunt Veronenses, & Vicentini contra Paduanos, & contra Dominum Eccelinum, Castra destruendo, & comburendo Villas, usque prope Civitatem, & sic prope, quod scintillæ ignis intra Civitatem cadebant. Paduani autem nimio terrore perterriti, in tantam multitudinem fugerant ad Civitatem, quod vix poterant ibi esse; sed nec extra, timentes vigorem & potentiam Veronensem, audebant exire. Unde Veronensis, & Vicentinis in Campo manentibus, Paduani omnes captivos liberos,

(11) Legerem Lubentius s.

A & absolutos dimiserunt (de quibus & ego unum me fuisse recordor) hoc solum pro præmio reportantes Paduani, quod liberè Veronenses & Vicentini redire deberent ad patrias. Sicque liberatis captivis, Veronenses & Vicentini revertuntur ad patriam.

B Dominus autem Eccelinus videns vilitatem Paduanorum, & quia contra suam voluntatem restituerant captivos memoratos, de guerra prædicta, quam cum Vicentinis habebat, Paduanis non certioratis, juravit pro Communi Veronæ recipienti, attendere, & observare mandata Comitis Guelfi tunc Potestatis Veronæ, & dedit illi obsides; & Castra Baxiani, & Angarani, donec voluerit, pro Communi Veronæ possidenda. Vicentini autem & ipsi juraverunt similiter, & sic cum triumpho reversi sunt Veronenses ad domum suam. Post paucos autem dies in civitate Veronæ pax facta fuit inter Vicentinos, & Dominum Eccelinum, & restituta sunt ipsi Domino Eccelino Castra memorata.

C Paduani autem plurimum indignati, quod sic fecerat Dominus Eccelinus, introniserunt sibi totam Curtem Onariae, & usque ibi, quamvis diceretur Eccelinus de ONARIA, mutato ipsis cognomine, cognominatus est postea Eccelinus de ROMANO, quod cognomen usque in hodiernum diem Domini Eccelinii certificat filios. Factus est tunc Dominus Eccelinus Paduanorum inimicus, eo quod possessiones illas sitas in Episcopatu Paduae sibi taliter detinent occupatas.

D *De conspiratione Eccelini contra Vivarienses, & de morte Pistoris Episcopi Vicentini.*

E **M**odò mutatur Potestas Vicentiae, succedit huic Dominus Jacobus de Vailardus, cuius tempore satè pacifice, & quietè Civitas permansit. Huic successerunt Consules, sub quibus conspiravit Dominus Eccelinus cum Comite Ugutio contra Vivarienses. Unde sumtā audaciā Comes Ugutio garnimentum fecit contra illos de Scledo, & habuit in succursum homines de Baxiano per Dominum Eccelinum. Episcopus autem bonæ memorie Pistor nominatus, cum Vivariensis, & propinquis suis ivit in succursum illorum de Scledo. Et commorantibus cum totis viribus apud Scledum, nocte una clam & occulte Comes Ugutio abstulit Castrum Belvexini Vivariensis. Die autem veniente, cum Castrum per Vivarienses ob sideretur, Episcopus memoratus, cum inermis esset, in aqua, quæ fluit apud Castrum prædictum, supra equum suum, sagittatus ab illis de Castro, (12) exulavit. Tunc venerunt Veronenses, & pro Communi Veronæ cœptâ discordiâ, Castrum prædictum restitui fecerunt Vivariensis: & utriusque partis licentiatu exercitu, omnes revertuntur ad propria domicilia. Episcopus autem mortuus ductus fuit ad Civitatem, sepelitusque fuit in Ecclesia Sanctæ Mariæ juxta sepulturas aliorum Episcoporum.

(12) Lege exhalavit.

*Qualiter post Consules creati sunt iterum  
Potestates Vicentiae: & quomodo Vicen-  
tini clauerunt aquam fluviorum  
labentium Paduam.*

**I**Stis Consulibus succedit Marchelinus de Maynardis in Potestatem. Hic suo tempore contra Communatem equitavit apud locum, quem Comes tenebat, qui dicebatur Saxeolum, non longe à Scledo, illumque locum captum comburi fecit, & ad Civitatem redit.

Tunc temporis Vicentini cum Veronensibus à Tervisini aquam Bachilionis, & Beronis fluviorum labentium per territorium Vicentium ad Civitatem Paduae clauerunt, & abstulerunt Paduanis.

*Series Potestatum aliquot Vicentinorum,  
& rerum, quæ sub illorum Po-  
testariis acciderunt.*

**H**Uic successerunt in Potestatem Viradi-nus de Costa, & Martinellus de Benen-ca. Hoc in tempore Comes Albertus, cùm militando obviaisset Mario de Porta Nova, interfecit eum.

Succedit istis in Potestatem Oliverius Ensel-bardus de Papia. Sub istius Potestaria inter-fectus fuit Andreas de Serratico in Villa (13) Lonici, prœliando pro illis de Castignunculo, & illis de Monticello contra Commune Lonici, currente Millesimo CCIV, die secundo exeunte Octobri.

Huic succedit Bernardus Vexillifer Papien-sis. Sub isto vénit Studium Scholarium in Ci-vitate Vicentiae, & duravit usque ad Potesta-riam Domini Drudi.

Huic successerunt Comes Ugutio, & Vido de Vivario.

Istis autem successit Dominus Lombardus de Cremona. In exitu Potestariae istius con-spiraverunt insimul Comes Vido, & Conra-dus de Vivario, qui cum amicis suis armati tot fuerunt ad Consilium factum de Potestate eligendo, quod violenter se se eligi in Po-testates fecerunt, qui nimis sæventer, & per-verse regebant Civitatem.

Et tunc temporis Dominus Oldricus de Vice-comitibus erat Potestas Veronæ, quia ipse cum Melchiore (14) Bonifacio, & cum Monticulis violenter expulerat Dominum Azonem Mar-chionem de Potestaria Veronæ, sumta occasio-ne, quod partem suam nolebat dare Marchioni Bonifacio, & sic se fecerat eligi in Po-testatem Veronæ. Qua propter idem Marchio, undique conquisitis amicis, & cum Mantuanis contra ipsum, & partem, quæ (15) expulerat de Civitate, conspirando, intravit Civitatem Veronæ, & magnum paravit exercitum. In quorum Veronensium succursum nobilis Eccelinus memoratus cum magna militum quan-titate, contra eundem Marchionem similiter eamdem Civitatem intravit, cum quo ivit tunc Comes Albertus, filius quondam Comitiis Ugutionis, (16) quia tunc temporis acce-

A perat Dominam (17) Ymigram, filiam ejusdem Domini Eccelini in uxorem.

Interim autem discordia oritur inter Vidonem Comitem, & Conradum de Vivario, & cùm descendissent de Palatio Communis Vicentiae, & ivissent ad domos proprias, Popu-lares domum ascenderunt Communis, & ipsis de Potestaria remotis, elegerunt Dominum Gulielmum de Pusterla, Civem Mediolanensem in Potestatem. Qui cùm venisset, & sa-cramentum sui regiminis fecisset pacificè, au-dito rumore Veronensem, tam sibi, quam Communi Consilio Civitatis placuit cum pleno exercitu ire ad Civitatem Veronæ pro bono pacis, & concordiae, non ea intentione (18), quod aliqua partium ipsis laderetur occa-sione. Iverunt ibi, & apud Civitatem castra-metati sunt. Et post multa colloquia facta cum partibus, videntes, quod pacem ponere non poterant inter ipsas partes, reversi fuerunt ad Civitatem Vicentiae. Mantuani autem in succursum Marchionis, & suæ partis totis vi-ribus occurserunt, & bello ac prœliis per to-tam Civitatem commissis, tandem obtinuit Marchio & pars illius, altera parte fugata & de Civitate violenter expulsa. Illo nanque die vix evasit Dominus Eccelinus à manibus Marchionis cum militibus suis. Fugerunt ergo contrarii Marchionis ad arcem Gardæ, & Marchio cœpit dominare Civitatem, domos & turres inimicorum suorum radicitus de-struendo. Tunc temporis etiam expugnavit cum Domino Salinguerra de Ferraria, ipsum-que cum parte sua expulxit de Civitate Fer-rariae, & ipsam violenter detinet occupatam. Arcem autem Gardæ, ubi fugerant inimici illius, undique per terram, & aquam strictissime obsidebat.

Dominus autem Eccelinus, videns amicos suos taliter fugatos, & destructos, cogitando qualiter amicis suis, qui obsidebantur in Gar-da, melius posset subvenire, cum maxima propriæ pecuniae quantitate adivit Civitatem Brixiae: ibique moram faciens multos compa-ravit amicos. Et cùm tam strictè per Mar-chionem amici sui obsiderentur in Garda, quod omnia jam cibaria penitus illis defecerant, (19) ille fortissimus Eccelinus, vidente Mar-chione, & exercitu suo universo, cum ciba-riis necessariis per Lacum Gardæ armata ma-nu, ferreis catenis fractis, ivit ad Gardam, & amicis suis bene ad annum unum necessaria tribuit cibaria, & sic reversus est ad Ci-vitatem Brixiae sine cuiusquam contradictione. Revertitur & Marchio cum exercitu suo ad Civitatem Veronæ cum nimia tristitia & ta-men dominatur Veronam, atque Ferriam.

Nunc mutatur Potestas Vicentiae, cui suc-cedit Dominus Drudus de Buzarino de Medio-lano, qui dicitur Buzarinus, qui, ut tutor permaneret, à pluribus Magnatibus Vicenti-nis filios pro obsidibus abstulit, & misit Mediolanum, inter quos erat Artuxius de Vi-vario, filius Domini Conradi, & Albertus de Celsano, filius tunc Pilii Vincentii, & alii quamplures. Marchio autem, & Comes Bo-nifacius de Sancto Bonifacio induxerunt Co-mitem

(13) Aliter Leonici.

(14) Legendum Marchione Bonifacio, scilicet Eſtense, cuius diſſidia cum Azone Marchione memoravi in Antiquitate Eſtensi.

(15) Adde eum pro te more ſeculi.

(16) Forte melius qui.

Tom. VIII.

(17) Imiam alii.

(18) Aliter ſic legi haec poſſent quod aliqua partium ipsarum laderetur. Haec occaſione ierunt ibi, &c.

(19) Melius ipfe.

mitem Vidonem, & Conradum de Vivario, ac Pilium Vincentii, & quosdam plures de parte sua ad hoc, ut occiderent, vel caperent ipsum Dominum Drudum Potestatem, & prædictam Potestariam sibi adsumerent ipsi Comes, & Conradus, quia dabunt illis auxilium, & consilium. Et cùm de hac proditione Domino Drudo diceretur à pluribus, ipse totum pro nihilo reputando propter obsides, quos habebat, manebat securus. Unde quadam die tertia, intrante Aprili, currente Millesimo (20) CCIX. manè tempestivè, die Veneris, Comes Vido, & ipse Conradus cum amicis suis quampluribus quorum filios habebat pro obsidibus, impias manus in ipsum injecerunt, & ipsum captum posuerunt in compedibus, sicque ambo, Comes & Conradus electi sunt violenter in Potestates Vicentiae, gaudentibus, & exultantibus Marchionis, & Comite Sancti Bonifacii, quorum suasione fecerant prædicta. Tunc domus, ac türres quamplures amicorum Domini Eccelini, ipsis fugatis, destruxerunt. Modò habent Marchio, & Comes cum amicis suis Veronam, Ferrariam, & Vicentiam.

Deus autem, qui sibi vindictam in manibus reservavit, post paucos dies mirabiliter, & quasi monstruosè suam potentiam exercuit in eosdem. Nam ante XX. dies ab introitu suæ Potestariæ, cùm exiissent de Civitate persequendo amicos Domini Eccelini, qui de Civitate exierant: & hospitati fuissent cum exercitu Vicentino in Villa Sandrici, manè tempestivè Jacobinus Guidotti de Tarvisio cum illis de Baxiano, & cum Comite Alberto, & paucis, qui de Civitate fuerant expulsi, & cum illis de Bregantii fecit insultum in illos. Et quamvis türres, & munitiones haberent fortissimas, & essent etiam numero decies tantum: tamen fugato exercitu Vicentino, si celeriter capti fuerunt Comes, & Conradus de Vivario, & Pilius Vincentii cum pluribus aliis de participibus sceleris, quòd impossibile erat hoc fieri, nisi divinitus processisset.

Sed quia, *Non habet eventus sordida præbonos*, voluit Deus Omnipotens, his proditionibus mirabiliter obviare (21), ipsis de sedetam praviter conquista deponere. Duëti sunt in Castro Bregantii, ibique in compediis carcerati custodiuntur. Cucurrit autem Comes Bonifacius de Sancto Bonifacio ad Civitatem, & se eligi fecit in Potestatem, detinendo & ipse Dominum Drudum captivum incarcерatum. Tunc temporis palatum patris quondam mei, Petri Maurisii, cum duabus turribus destrui fecit idem Comes. Modò Comes cum amicis suis habet Veronam, Vicentiam, atque Ferrariam, & etiam Mantua faciet eidem.

Minantur verò Marchio, & Comes destruere Baxianum, & Castrum Bregantii, ubi stabant amici Domini Eccelini. Dominus autem Eccelinus, quamvis valde foret infirmus in Civitate Brixiae, hoc auditio repatriavit. Et, ut magna loquar, non auditu, sed visu, dico quòd pro honore Domino faciendo, Servi sui bene fuerunt centum, & ultra, de novis, ac pretiosis vestibus cum variis vestiti, qui, nullo alio mediante, in platea, quæ est à capite Pontis Baxiani fecerunt circulum circa ipsum,

(20) Pajarinus habet heic Annum MCCVI.  
(21) Adde &c; vel pro deponere, quod sequitur,

A inclinando se humiliter ad pedes ejus, quod profecto hilari facie, & gratulanter recepit.

Tunc Marchio, & Comes, exercitu parato cum Veronensibus, & Vicentinis, & aliis undique collectis amicis, venerunt supra Brentam, non longè à Baxiano, & minabantur transire Brentam, & expugnare & destruere Baxianum. Dominus autem Eccelinus, facto guarnimento, bene habebat circa mille milites, & misit Ambasciatores suos, quorum ego unus fui, ad Civitatem Tervixii pro succursu sibi faciendo. Venerunt Tervixini cum suo Carrocio, & pleno exercitu usque ad Castrum Franchum, parati venire ad prælium, & ad defensionem Domini Eccelini secundum suam voluntatem.

Interim autem vir prudens, nobilis, ac bellicosus Salinguerra de Ferraria, armata manu in partem Marchionis, quæ Ferrariam tenebat occupatam, fecit insultum, & Civitatem occupavit violenter, fugatis amicis Marchionis. Hoc autem cùm intellexissent Marchio, & Comes, qui erant in exercitu supra Brentam, quasi fugiendo, revertuntur ad Civitatem Vicentiae finè mora cum exercitu, quos Dominus Eccelinus cum exercitu suo, finè Tervixinis (22) tantum persequutus fuit usque ad Villam Bolzani, ipsam Villam comburendo & deprædando, quæ Villa ab Urbe distat tantum per quinque milliaria. Et non mira; sed in scena testificata loquar. Duo de militibus Domini Eccelini, scilicet Pater meus, Petrus quondam Maurisii, & Grimaldellus de Bolzano, usque ad pontem Pusterlæ, apud portam Civitatis prosequuti sunt illos. Et, quia pons præ timore à fugientibus fuerat destrutus, non potuerunt ultra procedere; sed viuentibus eos illis, qui erant supra murum Civitatis, ipsis depositis galeis de capitibus, cum quodam vitreo, eis a quodam Burgensi porrecto, de optimo vino biberunt, pro quo facto Comes Burgensem in X. libras condemnavit, cui Burgensi postea Pater meus, nolens ipsum per hoc damnificari, restituit quinque libras. Ipsi quoque duo reversi sunt ad Dominum Eccelinum, qui versùs Civitatem cum toto suo exercitu venire proposuerat. Tantus enim erat timor, & tremor Vicentinorum, quòd ipsa die per Dominum Eccelinum capta fuisset Civitas. Erat enim tunc Rector Civitatis in tali statu, in quali erat rector ille, de quo dictum est per Ovidium:

*Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve,  
Invenit, ambiguis obstupet ipse malis.*

Quare autem non capta fuit Civitas, si aliquis diceret, responderi potest, quòd quidam Nuntius Domini Ottonis, tunc Regis, qui ibat Romam pro recipere diadema, dixit eidem Domino Eccelino, quòd finè mora iret omnibus dimissis ad ipsum, ubi erat. Qui Dominus Otto jam erat in portis Orsanigi. Quapropter Dominus Eccelinus ad domum cum suis reversus est festinanter. Et licentiatu exercitu suo, & Tervixinorum, altera die tempestivè movit à Baxiano, & ivit ad Regem, invenitque ipsum adhuc in portis prædictis. Qui Dominus Eccelinus quād gratulanter, & magnificè per Regem fuisse receptus, vix posset ab aliquibus nuntiari ore, sicut ego, qui cum ipso fueram, testificor veritatem.

Et

lege deponendo.  
(22) Fortè melius tamen.

Est nunc (23) in Cavam Dominus Eccelinus magnificè, & honorificè, & cum majori & pulchriori tentorio totius exercitus Regis, quod & statim donavit Spirensi Archiepiscopo, & videtur habere gratiam Domini Regis super omnes Principes, semper equitando, & stando prope ipsum Dominum Regem cum maxima domesticitate.

Interim vénit in Curia Dominus Azo Marchio, qui & ipse videbatur habere gratiam Regis. Die autem quadam, cùm essent ambo coram Rege cum amicis suis idem Marchio, & Dominus Eccelinus, surrexit Dominus Eccelinus, & quasi querelando de Marchione, inter cetera quæ dixit, retulit contra Marchionem, quòd ipse de eo fecerat prodictionem. Quia cùm essent non modica dilectionis affectione copulati, finè aliqua nova ingratitudine, vel offensione, cùm essent ambo in Venetiis, & venirent simul per plateam Sancti Marci, tenente Marchione se ipsum per manum, & servientibus quibusdam currentibus cum gladiis ad occisionem sui, volens evitare mortem, & capere fugam, idem Marchio strinxit ei manum, nec dimittere ipsum volebat, & nisi violenter manum de manu ipsius extraxisset, non potuisset tunc mortis evitasse periculum: tantum, quòd ipsum tenendo, ne fugeret, impedivit (24), quòd illi occifores vinxerunt milites Domini Eccelini, scilicet Dominum Busnardum, filium quondam Martinelli de Benencà de Pitocho, Civem Vicentinum, quem gravissime vulneratum dimiserunt semifivum. Alium autem militem, scilicet Bonacursum de Tervisio, interfecerunt. Et sic vix evasit Dominus Eccelinus, contra voluntatem ipsius Domini Marchionis, & de tanto scelere ipsum reum esse dicebat: & paratus esse dicebat, finè mora personaliter probare eidem Marchioni, quòd ejus consilio & auxilio prædicta facta fuerunt. Accusabat etiam ipsum de prodictione Domini Drudi, Potestatis Vicentiae, & de prodictione Domini Salinguerræ de Ferraria, & multa dicebat contra dictum Marchionem in illius obprobrium. Ipse autem Marchio respondendo prædictis verbis, quantum ad evidentiam astantium, viliter se excusando pugnam evitavit, dicens, quòd suo loco, & tempore pugnabit cum eodem Domino Eccelino extra Curiam Domini Regis, ubicumque Domino Eccelino placuerit. Et sic in rumore verba deducta fuere, talia Domino Rege tantum audiente, & nihil statuente; sed tamen silentium indixit utriusque.

Altera autem die post prandium, cùm Dominus Rex in campis extra Castra suisset ad aucupandum cum accipitre, cum quo erat Dominus Eccelinus, & ego ibi eram cum illo, vidimus venientem Dominum Salinguerram de Ferraria bene cum centum militibus armatis, quorum quilibet habebat vexillum, & armaturas rudes. Quos cùm Dominus Rex à longè vidisset, celeriter aucupatione dimissa revertitur ad Castra. Dominus autem nobilis Salinguerra veloci cursu veniens, cùm potuisset directè ire ad tentorium Regis, in obprobrium Marchionis fecit circuitum, & ivit ante tentorium Marchionis, ut ipse Marchio videbet ipsum, tam magnificè & honorabiliter ve-

A nientem: & sic ivit cum omnibus militibus usque ad tentorium Regis, ibique descendit, & cecidit ad pedes Regis cum militibus suis, exponendo querelam de ipso Marchione, & accusando ipsum non solum de propria prodictione; sed etiam de saeco Potestatis Vicentiae, & de prodictione, quam fecerat de Domino Eccelino, dicens, quòd de his omnibus paratus erat personaliter probare coram Rege, arbitrio Regis & finè mora. Marchio autem inter cetera, quæ negando proponebat, semper evitando pugnam, respondit, quòd plures habebat fideles, & nobiliores ipso Salinguerra, qui pro ipso pugnarent cum eodem, si vellet pugnare. Et de hoc rixa magna mota fuit inter ipsos in conspectu Regis, unde ad compescendum tumultum Henricus Calandrinus, evaginato ense, cum magna Theutonicorum multitudine utriusque parti silentium interposuit. Quo rumore sedato, Dominus Rex imperavit omnibus, quòd pro his factis nullus amplius coram ipso dicat de pugna facienda. Et utraque pars revertit ad tentoria propria, Domino Rege cum Theutonicis remanente.

*Qualiter Dominus Rex sedavit discordias  
Domini Marchionis, & Domini  
Eccelini.*

C **P**ost hæc altera die, cùm equitaret Rex, & esset Dominus Marchio, & Dominus Eccelinus unus à dextris, & alter à sinistris equitando cum ipso, in Francesco, dixit Rex Domino Eccelino: *Sire Ycelin, Salutem li  
Marches.* Dominus autem Eccelinus, pileo de capite traxo, dixit eidem Marchioni, inclinato capite: *Domine Marchio, Deus salvet vos.* Cui respondit Marchio, retento pileo in capite: *Deus salvet vos.* Hoc autem videns & audiens Rex, iterum dixit Marchioni: *Sire Marches, Salutem Ycelin (25):* Quod Marchio, adhuc pileo retento, salutavit Dominum Eccelinum, dicens illi: *Deus vos salvet.* Cui iterum extracto pileo respondit (26), iterum: *Sic salvet ipse vos.* Hoc autem facto, sic equitando venerunt ad quamdam ripam, & Vallem, ubi sic erat stricta via, quòd vix poterant duo simul, unus juxta alium, equitare; & sic, Rege prætereunte, ipsi duo soli fuerunt insimil ad transeundum. Dixit autem Marchio Domino Eccelino: *Ite vos ante:* & Dominus Eccelinus eodem modo dixit eidem. Et sic ambo simul iverunt, & tunc coeperunt ad invicem quām amicabiliter loqui, sic quòd omnes videntes plurimum mirabantur, & maximè Domino Regi valde visum fuit extraneum, & quasi molestum. Duravit (27) ipsorum colloquium-bene per duo milliaria, sic equitando unus apud alium.

E Cùm autem venisset Rex ad hospitium, & descendisset ad tentorium suum, vocavit primò Dominum Eccelinum, dixitque illi: *Ecceline, dic mihi veritatem, quæ verba habuisti tu hodie cum Marchione?* Cui respondit Dominus Eccelinus: *Nos dicebamus insimul de nostro veteri amore.* Dixit Rex: *Et de me dicebatis quidquam?* Respondit Dominus Eccelinus: *Sic dicebamus.* Et ipse dixit. *Quæ verba dixistis, Domine Ecceline, de me?* Cui respondit Dominus Eccelinus: *Nos dicebamus, quòd*

(23) Fortassis: In Curia.

(24) Melius quare.

(25) Melius qui, aut quare.

(26) Legendum fortassis pro iterum, Eccelinus.

(27) Adde enim.

quod quando vultis, vos estis super omnes homines placidus & benignus, nec habetis parem in Mundo omnium virtutum: &, cum vultis, vos estis trux, horridus, & terribilis super omnes, & aliud de vobis non diximus. Ipse autem, dimisso Domino Eccelino, vocavit Marchionem, quem eodem modo interrogavit, cui ferè per eadem verba, ac si fuissent præmeditata, Dominus Marchio respondit Regi. Equitaverunt postea ad invicem, sic loquendo, usque ad Civitatem Imolæ; sed ibi Dominus Rex misit Marchionem in Marcham Anconæ, Dominum autem Eccelinum duxit secum Romæ, ad accipendum diadema.

*Qualiter Rex misit in Anconam Marchionem,  
& secum Romanam duxit Dominum  
Eccelinum.*

*f. 8*  
**N**unc autem in ejusdem Regis præsentia, precibus ejusdem Regis, sibi ad invicem Marchio, & inde Dominus Eccelinus servitium & amorem promiserunt, & sic ivit Marchio in Marcham Anconæ, & Dominus Imperator ivit Romam, deducto secum Domino Eccelino. Cum autem diadema receperisset Rex, factus Imperator, in reditu suo, Romani secundum suam antiquissimam consuetudinem bello commisso & prælio, pugnaverunt fortiter cum Imperatore. In quo bello quidam nobilis, & pulcherrimus miles Domini Eccelini, quem secum duxerat à Tervisio, mortuus est, ibique jacet sepultus. In ipso verò bello Dominus Eccelinus sic egregie pugnavit, quod super omnes bellandi obtinuit principatum. Unde fortius gratiam Imperatoris, & omnium Principum ampliavit.

*Qualiter Rex factus Imperator condemnat  
Vicentinos.*

**R**eversus est nunc Imperator, & condemnat culpabiles Vicentinos in sexaginta millia libras denariorum Veronensem, sibi dandas, quas Dominus Eccelinus sibi dare promisit, si habuerit per ipsum regimen Civitatis Vicentiae. Dominus autem Imperator, quia, antequam ivisset Romam, ceperat Comitem ipsum, quem detinuerat invitum, donec (28) fecit venire Dominum Drudum, liberum & de carceribus absolutum: & ibi pro suo Legato, & Rectore posuerat Dominum Gulielmum de Lando nobilem Civem Placentinum, qui Civitatem regebat pro Domino Imperatore, remoto & cassato Domino Comite Bonifacio de Sancto Bonifacio de sua (29) Potestaria. Præcepitque tunc eidem Domino Gulielmo, quod regimen Civitatis Vicentiae dimitteret eidem. Concedendo eidem Domino Eccelino Civitatis Vicentiae plenissimam Legionem. Et Comiti Guidoni Guerræ de (30) Boblio, cui ipse in custodiā ante quam ivisset Romam, concesserat omnes captivos, qui fuerant capti apud Sandrigum, præcepit, quod de illis captivis se regeret arbitrio Domini Eccelini.

(28) Melius faceret.

(29) Legendum Potestaria præcipit tunc eidem, &c.

(30) De Bobbio.

(31) Leges sequi.

A *Quomodo Dominus Eccelinus habuit regimen  
Civitatis Vicentiae à Domino  
Imperatore.*

**V**Enit Vicentiam Dominus Eccelinus, & sumto regimine Civitatis utraque pars tam amicorum, quā inimicorum juravit (31) sequendi ipsum, & habere in Rectorem, & Potestatem, ac Domini Imperatoris Legatum. Modò habet Dominus Eccelinus Vicentiam; Salinguerra Ferrariam; Marchio, & Comes Veronam, & Mantuam: Comes autem Guido Guerra de Bobbio captivos per Dominum Eccelinum tenet, & custodiri facit. Quorum finis talis fuit, videlicet, quod illa occasione Comes Guido, Pilius Vincentii, Holdracus, & plures alii occasione illa periisse dicuntur. Dominus autem Conradus de Vivario, precibus amicorum veterum Domini Eccelini, & quia ejus erat quasi domesticus, propinquus, & familiaris amicus, dimisus est de carceribus, & sanus & incolumis redit ad Civitatem.

Nunc fugiunt de Civitate Vicentini quamplures, spretis Domini Eccelini mandatis, quos ipse bannivit, & eorum bona publicavit. Tunc Castrum Grancone, in quo fugaces (32) gueriendo manebant, obsedit, & eo devicto destruxit. Fugiunt ad Sanctum Bonifacium, ad Civitatem Veronæ, omnesque inimicantur Domino Eccelino.

C Pars autem Domini Eccelini de Verona fugata, vénit Vicentiam; & qui volunt, ibi securi morantur. Inter quos vénit Marchio Bonifacius, cum matre sua Vicentina, & morantur cum Domino Eccelino in Domo Palatii Vicentini, ad expensas Domini Eccelini. Magna guerra est inter Vicentinos, qui morantur intus, & Vicentinos, qui sunt extra Civitatem.

D Interim eligitur in Potestatem Veronæ Dominus Bartholomæus de Palatio. Hic hortatu, & consilio Marchionis, & Comitis Bonifacii, movit exercitum contra Dominum Eccelinum, & contra Civitatem Vicentiae, amicis ex omnibus Civitatibus undique conquisitis. Fuit ibi Mantua cum Cremona, Regium, Brixia, Papia, atque Verona cum magna militum quantitate, (33) & Verona totis viribus, & cum Carrocio. Expugnaverunt Villam Leonici, ipsaque devicta, obsederunt & Castrum. Quo similiter devicta, veniunt prope Civitatem, usque ad Pontem Altum, qui distat ab Urbe per milliarium tantum, ibique castrametati steterunt. Dominus autem (34) Eccelinus solummodo partem suam, & eos, qui remanserant in Civitate cum quantitate militum, & peditum de Tarvixio, quos precibus & amore quæsivit, habuit in sua defensione paratos. Qui, tamquam rugiens leo, tantæ fuit præsumptionis, & audaciæ, quod cum illicis extra Civitatem, Ponte Alto inter ipsos tantum mediante, vénit in campum. Bello itaque commisso, Marchio, & Comes cum parte sua versi sunt in fugam. Capti sunt quamplures de majoribus & melioribus Civitatis Veronæ, & ex omni natione Civitatum prædictarum, quæ venerant in exercitu cum Verona, fuerunt plures capti. Fugit Marchio,

(32) Guerrizando infra.

(33) Melius sed.

(34) Alii etiam.

chio, & Comes cum toto exercitu suo. Dominus autem Eccelinus cum magno triumpho reversus est ad Civitatem Vicentiae: captivos autem duxit ad Angaranum, & Baxianum, ibique in compedibus & carceribus custodire facit illos.

*Mors Marchionis, & Comitis cum Castro Estensi à Paduanis expugnato.*

*1212* **I**llis temporibus, & diebus naturali morte, non ultra mensem post hæc, tam Marchio, quam Comes interiit infra octo dies, unus post alterum.

Interim discordia oritur inter Dominum Aldrevandinum Marchionem, filium quondam Marchionis prædicti, & Paduanos. Qui Paduanii facientes exercitum contra ipsum Marchionem, apud Castrum Estensem castramentati sunt, & auxilium Domini Eccelini petierunt sibi dari cum instantia. Ipse autem cum Vicentini, quos regebat, ivit in auxilium Paduanorum, & cum machinis propriis sic fortiter Castrum, sive Dolone, & Palatium Marchionis expugnavit, die nocte intus lapidando, quod totum fuit destructum, & devastatum. Vénit tunc Marchio tamquam devictus ad voluntatem Communis Paduae, & Domino Eccelino licentiato revertitur ad Civitatem cum suis.

Sicque regente Domino Eccelino Civitatem Vicentiae, placuit Paduanis, de pace facienda se interponere inter Vicentinos intus & extra, & intra Veronenses similiter. Veniunt ergo Paduanii ad Dominum Eccelinum, rogando ipsum, quod consentiat illis in hoc. Ipse autem secum deliberans, & cogitans, quantam super ipsum Dominum mirabiliter suam misericordiam exercuerat, scilicet in dando sibi victoriam & triumphum contrariantes hominum multitudines: & quia sic in brevi Marchionem, & Comitem adversarios suos morti tradiderat, ipsam victoriam & triumphum per ipsum, qui eidem concesserat, recognoscens; pia etiam miseratione placatus, atque commotus, Paduanis concessit. Hic enim est ille, de quo verè dici potest, sicut scriptum est:

*Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,*  
*(35) Cuique dolet, quotiens cogitur esse ferox.*  
*Qui vincit semper, vicit ut parcere posset;*  
*Clausit & æterna civica bella sera.*  
*(36) Multa metu (37) cohibet, qui pœna parva coerget,*  
*Et jacit invita fulmina rara manu:*  
*Qui, cùm justè aliquid statuit, fit tristis & ipse,*  
*(38) Cuique ferè pœnam sumere, pœna fuit.*  
*Cum sibi suscepta est legis vindicta severæ,*  
*Verba velut cinctum singula virus habent.*  
*Hostibus eveniat, quam sit violentus in armis,*  
*Sentire, & lingue tela subire suæ.*

*Marinus Zeno de Venetiis facit pacem inter Vicentinos, & Veronenses, electusque est Vicentiae Potestas.*

**F**actum est, quod Dominus Marinus Zeno de Venetiis pro ipso Communi Paduae

(35) *Al.* quique.

(36) *Al.* prohibet, pœna qui parva coerget.

(37) *In vulgatis.* Multa metu pœna, pœna qui pauca coerget.

(38) *In iisdem.* Cuique ferè pœnam sumere pœna sua est.

A fecit jurare Vicentinos, & Veronenses sua præcepta, deque omnibus discordiis pacem fecit inter ipsos. Concordatus est Marchio Aldrevandinus cum Marchione Bonifacio, & missus est idem Bonifacius in possessione patriæ suæ in omni loco. Reversi sunt omnes tam Veronenses, quam Vicentini ad proprios lares in Civitatibus, unde fugerant, & electus est idem Dominus Marinus Zeno Potestas Vicentiae.

Dominus autem Eccelinus cum pleno gaudio, dimisso regimine Civitatis, vadit Baxianum, & alibi, per terras suas pacificè commorando. Videns nunc amicos suos in bono statu, & desiderii sui effectum fore consequutum, qui profectò nullus (39) erat, nisi, ut amici sui possent pacificè manere securi, Marosticam tunc vendidit Communi Vicentino pretio XL. millium librarum. Tali tamen pacto, sub gravissima pœna stipulatione firmata, quod Castrum Marosticæ muniri non debeat, sed semper stare destructum. Quod Vicentini minimè servaverunt; immo fortius solito munierunt eundem. Modò habent illud Castrum fortissimum, & valde munitum Domini de Romano. Quia, quamvis Marchio Estensis tempore sua Potestariæ pro Communi Vicentino illud in custodiā habuisset, & sibi voluisse tenere usurpatum, tandem Domini de Romano eundem Marchionem compulerunt invitum ad sibi restitutionem faciendam.

*f. 9'*  
*De Eccelino Tertio de Romano.*

**F**ecit tunc temporis divisionem inter filios suos Dominus Eccelinus, concedendo partem suam Domino Eccelino in Tervisiana, & Domino Alberico in Vicentina: & sic seculo quasi renuntians, armis dimissis, cœpit strictissime facere penitentiam. Sub isto Marino Zeno Civitates Marchiae in bono statu permanerunt, & fuere rectæ pacificè.

Mutatur Potestas Vicentiae, succedunt Potestates huic Comes Albertus pro parte sua veteri, & antiqua, & Dominus Vido de Villavario pro sua: & sati communiter, & bono modo per ipsos Civitas recta fuit. Verumtamen Dominus Vido magis favebat alteri parti, quam propriæ, in odium Domini Eccelini, quem ideo exosum habebat, quod idem Dominus Eccelinus tempore sua Potestariæ non patiebatur ipsum suæ voluntatis arbitrio imprimere, (40) quos volebat, & quia Potestariam Villæ Malati, quam volebat, denegavit eidem.

Istis Potestatibus successit Dominus Rambertinus (41) de Bononia. Hic se regebat secundum voluntatem cuiusdam Comitis noviter facti in Civitate Vicentiae, in odium Domini Eccelini, & sua partis. Cujus Comitis tanta erat potentia, quod cùm partes confuetæ fuerint per (42) medium Officiales habere, tunc sibi tertiam partem omnium Officialium adsumebant, quod in Potestaria Comitis, (43) & Domini Vidonis præcedentium primo fuerat illi Communi concessum. Et favebat Commune prædictum parti Comitis in totum, quam-

(39) *Desideratur* alias.

(40) *Legendum videtur opprimere.*

(41) *Vocant alii Rambaldum de Rambaldis: ali* Lambertum de Lambertinis.

(42) *Melius* per medietatem, *ut infra.*

(43) *Comitis Alberti.*

*cōt. f. dclvij. pt. 2*  
*critus*

quamvis se Commune fictitiè ficeret nominari : & sic pars Domini Eccelini non habebat, nisi partem tertiam, & pars Comitis duas. Et in hac conditione per duos annos continuos rexit idem Rambertinus Civitatem. Multum tamen displicebat Domino Nicolao Vicentino Episcopo, qui tunc regebat, & ministrabat Episcopatum Vicentinum, quòd Officiales æqualiter, secundùm veterem consuetudinem, partibus pro medietate non dabantur. Unde cùm successisset huic Dominus Albertinus de Castronovo in Potestatem, pro medietate concessit Officiales partibus, contempto Communi prædicto, tamquam iniquo, & fraudulentio Communi. Hic bono modo, & tranquillo statu rexit Civitatem.

*f. 10*

Successit huic Dominus Albertus Tetaveglia de Vercellis, qui cùm & ipse communiter, & bono modo regeret Civitatem, Ugutio Pilii, favore Comitis memorati, indignati ob id, quòd partem tertiam Officialium non habebat, tumultum movit contra Potestatem, & in ipsum fecit insultum, ipsumque in Palatio Communi tañdiu expugnavit, quòd devictus Potestariam renuntiavit, seque fecit in Potestatem eligi. Exierunt quidam amici Dominorum de Romano de Civitate, & morabantur apud Baxianum, & per terras ipsorum Dominorum de Romano. Sic enim dicto, & factò contemnebat Dominus Ugutio illos de Romano, ac si forent plebei, & populares, omnia obprobria dicens adversus illos cum audacia nimia.

Post suum exitum eligi fecit iterum Dominum Rambertinum de Bononia, ideo quòd valde inimicus erat illorum Dominorum de Romano, & quia suo arbitrio aliis temporibus reverat Civitatem. Cùm autem sic regeret Civitatem arbitrio Ugutionis, nullam, vel modicam partem Officialium dando parti illorum de Romano, Dominus Eccelinus indignatione commotus, ob id, quòd amici sui taliter sunt destituti, & omni honore privati, & quòd taliter (44) vilipendunt. Dominus Eccelinus sumtis militibus, & peditibus de Baxiano, ivit ad Sanctum Petrum Enguti (45), pro læsione facienda Vicentinis, & inde revertendo vénit ad Bulzanum deprædando, & comburendo. Vicentini autem hoc cognito, illi (46) tenderunt infidias, & tacenter ultra Villam Bresanviti expe&tabant ipsum Dominum Eccelinum transiturum, volentes ipsum capere, vel occidere. Ipse autem hoc cognito, quamvis essent triplo plures, convocavit suos, & dixit illis: Referamus Deo gratias, quia fecit nobis copiam cum hostibus debellandi: omnis homo sit prudens, & viriliter pugnet cum illis, quia Domino dante eos occidemus, vel capiemus. Et poenam mortis imposuit fugienti, vel viliter pugnanti. Et sumto (47) magnanimo, dentibus stridens, & more leonis rugiens, videns inimicos, in ipsos impetu factò veloci, ipsi omnes versi sunt in fugam; quamplures de majoribus, & melioribus Civitatis capti sunt per ipsum (48), quos Baxiani, ibi in compedibus, & carceribus fecit custodiri.

Hoc autem fuit primum factum, in quo bellando pugnavit Dominus Eccelinus. Tunc

(44) Melius vilipenduntur, sumtis militibus &c.

(45) Alii in Gude.

(46) Pro terenderunt.

(47) Forte melius magno animo.

A venerunt Paduani, & sic composuerunt inter eosdem, quòd pars Domini Alberici reversa est ad Civitatem, & captivi sunt de carceribus liberati. In illis diebus Dominus Ugutio Pilii factus est amicus Dominorum de Romano, & in illorum partem esse gravit. Unde in fine Potestariæ Domini Rambertini, cùm Domini de Romano, & pars sua pugnassent cum ipsa Potestate, & parte adversa, idem Ugutio fuit cum iis de Romano, pugnando contra alios; & tunc, Civitate pro magna parte combusta, vix evasit Dominus Rambertinus. Fuit tamen, bellando apud domum Domini Ugutionis, in fronte vulneratus.

B *f. 10'*

Huic succedit Dominus Gulielmus Amatus, qui, cùm venisset in Civitatem, invénit cives undique præliando. Sic tamen auxilio Potestatis Paduæ, qui venerat pro rumore sedando, tunc fuit operatum, quòd præliis cefstantibus, sui regiminis pacificè fecit sacramentum. Et licentiato Domino Rambertino pacificè rexit Civitatem, & bono modo. Sub istius Potestaria Dominus Albericus de Romano Dominam Beatricem duxit in uxorem, & in palatio Comunis fecit nuptias, & ipsius Dominæ virginitatem defloravit. Iterum in fine Potestariæ ipsius Domini Gulielmi, Dominus Eccelinus Dominam Ziliam, sororem Comitis Rizardi de Sancto Bonifacio, similiiter in uxorem duxit, & Comes Rizardus duxit Dominam Cunizam, sororem istorum Dominorum de Romano. De quo factò Monticuli, & pars Dominorum de Romano valde dubitabant. Verumtamen ipsi Domini dicebant eisdem, quòd propter hoc nihil dubitarent, quia eorum amorem perdere non proposuerant; sed potius pro consueto modo, & antecedenti proposito contra omnes illis dabant auxilium, & favorem.

C

D Succedit huic Dominus Laurengus (49) de Brixia, vir nobilis, prudens, atque facundus. Hic favebat nimis popularibus, & cuidam Communi fictitiè facto: & in tantum, quòd etiam partem Officialium dabat illi Communi. Quapropter Magnates conspiraverunt contra ipsum Dominum Laurengum, inter quos fuerat Dominus Albericus, Comes Albertus, Albertus de Celsano, qui tunc factus fuit amicus Domini Alberici. Et fuerunt etiam omnes Domini de Bregantiis, & plures alii volentes contradicere Domino Laurengo (50). Quod tamquam prudens & discretus, hoc cognito, vocavit ipsos, quòd veniret ad sua mandata. Qui cùm venire contempsent, ipsos fecit banniri, & ad offendendum eos se viriliter præparabat. Verumtamen, ut securius de ipsis posset vindictam sumere, tamquam providus & discretus, misit Brixiam pro amicis suis. In cuius succursum venerunt milites ducenti. Et cùm vellet contra ipsos equitare, venerunt Paduani, & Frater Jordanus cum illis, & fecerunt ipsos omnes venire in plena concione ad mandata ipsius Domini Laurengi, promittendo ipsis Magnatibus (51) conservando eos indemnes à prædicta Potestate: nec enim aliter ad hoc faciendum potuerunt induci. Dominus autem Laurengus statim in eadem concione, præfente ipso Fratre Jordano, & Domino Guidone de Landriano, con-

E demna-

(48) Melius quos Baxianum, missos, ibi &c.

(49) Laurentius, aliis.

(50) Pro quare, nisi qui legere malis, pro quod.

(51) Pro conservare.

demnavit eos in septem millia librarum, quos denarios solverunt Paduani pro Magnatibus & Domino Laurengo, qui postea Potestariam suam usque ad finem rexit cum magno vigore.

Succedit huic Pontius Amatus de Cremona, frater predicti Guelmi Amati. Hic similiter rexit Civitatem confilio popularium, & Communis ficti, non bene tractando partem Dominorum de Romano.

Successit huic iterum frater ejus Dominus Guelmus Amatus, qui & ipse, eodem modo male tractando partem Dominorum de Romano, Civitatem rexit.

Huic succedit Dominus Otto de Mandello, civis Mediolanensis, qui & ipse modum tenens predictum, minus bene tractabat partem suprascriptorum Dominorum. Sub Potestaria istius, cum esset Potestas Verone Dominus Guifredus de Piroano, per Monticulos, & amicos suos captus, & de Potestaria remotus est, cui successit Dominus Leo de Carcere. Et tunc Dominus Eccelinus erat in Civitate Verone, scilicet cum fuit captus Potestas, & positus Dominus Leo: nec voluit in illo facto, sicut poterat, capere partem. Habebat enim Jam Comitem exosum, ob id, quod, cum Brixenes venturi erant Vicentiam pro succursu faciendo Domino Lauren- go, ipse cum fratre suo Domino Alberico totis viribus operam dederat, rogitando ipsum Comitem de Sancto Bonifacio, ne pateretur ipsos Brixenses facere transitum super suum, quod eisdem facere denegavit. Et ideo de ipso multum non curaverat; ipsum tamen offendere solebat. Unde ipso Comite in Civitate relieto, cum repatriaret, inventi insidiatores sibi ordinatos in partibus Comitis, qui in ipsum volebant insultum facere. Unde volens evitare periculum, & cognito, quod de hoc fuerat Comes culpabilis, reversus est ad Civitatem Verone festinante. Quod cum in rumore suisset deductum, Monticuli, & pars illorum arma capientes, ceperunt Comitem predictum, & plures alios, qui culpabiles dicebantur de proditione predicta. Ipse autem Leo Comitem captum infugavit, propter quod Commune Verone ipsum de Potestaria removit, & electus est tunc Dominus Eccelinus Potestas Verone.

Cum quanto autem vigore regat Civitatem Verone, & quantum ab omnibus ibi commorantibus commendetur, & diligatur, nullus ignorat: nec possent illius laudes à quoquam breviter nuntiari. Fugit tunc Comes, & sua pars, & guerram maximam faciunt cum Domino Ecclino, & sua parte.

Interim mutatur Otto de Mandello, cui succedit in Potestatem Vicentie Dominus Albrighetus de Favenia, qui cum ipse foret Dominorum de Romano, & Domini Salinguerie de Ferraria specialis inimicus, Dominos de Romano, & partem suam penitus vi pendendo, pessimè tractabat eosdem. Et, ut posset manere securus, omnes turres, & munitiones partis illorum de Romano per Cives Paduanos custodiri faciebat.

Dominus autem Albericus videns se, & amicos suos sic male tractari, fremens spiritu, tamquam miles fortissimus, & audacissimus, & discretus, cogitare cepit, quomodo istum Albrighetum posset de Potestaria repellere.

(\*) Altis Pontius.  
Tom. VIII.

A lere. Et habito cum fratre suo Domino Eccelino tractatu, & cum paucis amicis suis secreto, statuit pugnare cum ipso Potestate, & munitiones amicorum suorum auferre Paduanis, qui eas custodiebant. Ac die certa statuta Dominus Eccelinus cum quantitate militum, & peditum in succursum Domini Alberici, & amicorum suorum venire promisit. Sicque factum est, quod die una tempestivè Dominus Artusius de Vivario insultum fecit in custodes, qui erant supra turrim suam, ipsosque devicit, & turrim suam statim recuperavit. Dominus autem Albericus cum garnimento magno cucurrit. Comes Ugurio, & Ugurio Pilii erant cum eodem Domino Alberico. Pugna, & proelia committuntur per Civitatem. Paduani venerunt in succursum Potestatis. Dominus autem Eccelinus venit recto tramite per stratum Verone cum militibus, & peditibus Veronensibus, & violenter per Portam Novam Civitatis intravit. Et commisso bello cum Paduanis, & Potestate devicti sunt Paduani, & ipsorum multi fuerunt capti: quos postea Domini de Romano dimiserunt; spolia tamen perdiderunt. Capta est Potestas, & licentiata recessit.

B Factus est tunc Dominus Albericus Potestas Vicentie, & Dominus Eccelinus cum suis, & pleno triumpho revertitur ad Civitatem Verone. Nunc habet Dominus Albericus Vicentiam, & Dominus Eccelinus Veronam.

C Multi autem exeunt de Civitate Vicentie, & Episcopus Vicentinus cum illis, & morantur in Brendolis guerizando cum Civitate; & Valerianus de Braganis cum illis guerram facit Civitati. Dominus autem Albericus primò Castrum Grancionis destruxit, postea Castrum Domini Valeriani etiam fortissimum, iuxta Villam Maxonis diu obsedit, & illud destruxit. Civitatem autem, & illos, qui sibi obediunt, sic laudabiliter regit, atque gubernat, quod usque in hodiernum diem ab omnibus merito commendatur. Et Civitatem rexit per viginti novem menses.

D Sub istius Potestaria Dominus (52) cepit Castrum Fontis, & filium quondam Domini Gerardi de Campo Sancti Petri. Paduani autem, & Tarvisini de hoc indignati, moverunt exercitum cum Carrociis contra illos Dominos de Romano, & venerunt contra Baxianum, comburendo Villam, & incidendo vineas. Dominus autem Albericus cum Vicentinis se defendere conabatur. Interim venit Dominus Eccelinus, pater istorum Dominorum Eccelni, & Alberici, & plurimum lagrmando Dominum Eccelinum filium suum rogitavit, quatenus Castrum redderet memoratum, & filium Domini Gerardi de Campo Sancti Petri. Quod quamvis sibi durissimum, atque gravissimum videretur, tamen annuit paternis precibus. & omnia ipsius arbitrio restituit Paduanis, & Tarvisinis. Sicque reversi sunt exercitus omnes, maximo tamen damno dato Domino Alberico, & hominibus de Baxiano.

E Dominus autem Eccelinus Veronam rediens, volens parcere laboribus, & expensis ipsorum, de voluntate etiam amicorum suorum, ad preces Lombardorum, passus est alium ibi ponere in Rectorem, & Potestatem, scilicet Comitem Bonifacium de Radalasco. Et sic, pace firma-

(52) Lege Dominus Eccelinus.

## GERARDI MAURISII

29

firmata , regit iste Comes Civitatem auxilio & consilio Zuliani quondam Rainaldi Osterii , qui Capitaneus erat cuiusdam Communantiae noviter factae in Civitate . Cujus Zuliani tunc maximus vigor fuerat , & omnia ferè suo disponebantur arbitrio .

Isti autem Comiti successit Dominus Promus Encoardus in Potestatem .

Huic successit Dominus Rainerius Zeno de Venetiis , qui cum magno vigore prædictam rexit Civitatem , tenendo Castrum Sancti Bonifacii in sua virtute , & potestate , toto tempore suæ Potestariæ .

Huic quoque successit Matthæus Justinianus , similiter de Venetiis . Sub isto Costantinus , filius quondam Aldelardini , fregit pacem , vulnerando quemdam de parte Monticulorum ; & sic , rixâ commotâ , captus est Comes , & amici sui .

Item Dominus Eccelinus Potestas est constitutus . Positus est Comes , & amici sui in compedibus , & carceribus . Cum autem nimis severiter custodirentur , Dominus Eccelinus , pater præsentium Dominorum de Romano , quamvis seculo renuntiasset , tamen viscera pietatis contra captivos aperiens , ivit ad ipsos , & eisdem cibaria necessaria , quæ penitus illis fuerant subtructa , dari fecit & concedi .

### *De tractatu Lombardorum cum Eccelino causa pacis .*

**M**odò venerunt iterum Lombardi , rogando Dominum Eccelinum , & partem suam , quod arbitrio ipsorum sibi , & amicis suis placeat componere , ipso Domino Eccelino dicente , quod Comes , & sua pars pacis foedera non servabunt , nisi Castrum Sancti Bonifacii auferant eidem Comiti . Unde Lombardi promiserunt Domino Eccelino , & Communi Veronæ , quod non dimitterent Comitem , & alios captivos liberos & absolutos , nisi primùm dederit Castrum illud in virtute , & potestate Communis Veronæ , & Potestatis futuræ .

Statuerunt etiam , & jurare fecerunt septem Civitates , Brixiam , Mantuam , Veronam , Vicentiam , Paduam , Tarvisium , atque Ferrariam , quod bona fide , operam dabunt ad hoc , quod pax observetur firmiter : & si qua partium aliquarum istarum septem Civitatum , pro alia fuerit de Civitate expulsa , omnes aliae Civitates taneantur adjuvare partem expulsam in Civitate redire : & si Domini de Romano in hac societate intrare quoquo tempore voluerint , quod recipientur . Quo taliter statuto , & firmato , Dominus Eccelinus captivos tradidit Lombardis , & passus est ibi ponit Dominum Guidonem de Rode in Potestate , Lombardi autem miserunt Comitem Placentiæ ; & Dominus Eccelinus domum rediit , dimisso Domino Guidone Rectore , & Potestate .

Instat nunc Dominus Eccelinus , & pars sua , quod Lombardi dari faciant Castrum Sancti Bonifacii Potestati Verone , secundum præcedentem promissionem . Quod cum de die in diem semper promittendo different , tamdem Lombardi fecerunt colloquium apud Bononię , ad quem , videntes illi Domini de Romano , quod colludebantur à Lombardis , placuit eisdem mittere Procuratores suos , ad rogandum Lombardos , quod attendant promissa sibi facta , & maximè , quod reciperentur in

30

A societatem septem prædictarum Civitatum Fuerunt illorum Procuratores Dominus Bonifacius de Piro Tarysinus Canonicus , & Ego . Qui facta petitione nostra , Ambasciatores Veronæ , Mantuæ , atque Ferrarie aperte contradicebant , eos non esse recipiendos . Detinuerunt nos ibi bene per mensem unum , dilatando responsum suum . Unde , quasi ira vehementi commotus , dixi inter Lombardos , me plurimū admirari , quare non audiebant , & tantum differebant petitionem Dominorum de Romano , quoniam adhuc tanta erat ipsorum potentia per se , & amicos suos de Verona , quod omni die possent expellere partem Comitis de Civitate , si vellent , & dominari ipsam , sicut ante faciebant . Quod totum Gualvagnus de Turrisendis , cum his , qui erant ibi Ambasciatores illorum Dominorum , respondit , & confessus fuit verum esse , præsentibus Ambaxiatoribus , qui contradicebant . Dux etiam majora Lombardis , scilicet , quod si Domini de Romano volunt Domino Imperatori favere , per se solos tantam habent potentiam , quod per terras suas possunt conducere ipsum Imperatorem in Marchia , invitis & contradictoribus Lombardis : nedum , quod in Verona tanta est potentia eorum , ut supra dixeram . Unde dicebam , quod non erant contempnendi , & taliter vilipendendi ab ipsis Lombardis , si recte cupiunt facere negotia Lombardia . Nec volebamus nos Procuratores amplius ibi expectare : & verè irati venire coepimus sine ipsorum Lombardorum licentia . Ipsi autem nobis retrovocatis , responderunt nobis , facturos quæcumque volebamus , & sic recepti fuimus pro ipsis in societate illarum Civitatum , quam societatem observare juravimus in animabus eorum , procuratorio nomine , sicut nos facturos nostra publica Instrumenta dicebant .

D Post hæc nostra fuit petitio , quod festinanter mitterent Ambasciatores Paduanis , quod sub debito juramenti , & sub banno Lombardorum , eisdem Dominis de Romano nullum damnum darent in terris , & possessionibus eorum ; quoniam , ad instantiam Feltrini , & Bellunensis Episcoporum , Paduani promiserunt exercitum facturos contra Dominum Eccelinum apud Opitergium , quod Castrum possidebat idem Dominus Eccelinus pro suo , quamvis Episcopus memoratus diceret ad se pertinere . Impetravimus ab eis , quidquid voluimus , & venimus cum Ambaxiatoribus disertis , & sapientibus , ad nostram petitionem per hoc destinatis , quod , sicut habebant in mandatis , optimo modo expleverunt . De hoc , nescio de socio , sed de me scio , quod adhuc debeo remunerari .

E Instant nunc Lombardi , quod Comes juret societatem Lombardorum , qui & ipse juravit , & receptor est , atque liber , absolutus , atque dimissus , & habet Castrum suum de Sancto Bonifacio , & omnes possessiones suas , inconsulto , & inscio Domino Eccelino , & parte sua . Unde cum peterent Lombardi , & Potestas Veronæ immoderatè instaret , ad hoc , quod & ipsi jurent societatem Lombardorum , Domini de Romano , videntes , se se , & partem suam proditos , & per Lombardos deceptos , totis viribus Lombardis contradicunt . Et cum Potestas nimis ad hoc instaret , & quasi violenter vellet ad jurandum partem Dominorum de Romano compellere , Dominus Eccl<sup>linus</sup>

*f.13*  
linus festinanter Veronam adivit, & cùm non posset blandis verbis Potestatem à suo proposito deviare, cepit ipsum supra domum Communis Veronæ, dicens illi, quòd faceret venire obsides amicorum suorum, quos miserat Mediolanum; ipsumque captum detinuit, donec obsides habuit memoratos. Dicebat autem idem Dominus Guido: *Ego laudo, quod facitis; nec pro malo habeo quod etiam de me facitis; & quòd adjuratis vos, consulo vobis, & cum Imperatore, & aliis, sicut potestis, quia sinè dubio Lombardi vos deceperunt, & decipient abduc, si poterunt, gravius.* Iterum Dominus Eccelinus incepit regere Civitatem, & taliter videns se, & partem suam proditos, & deceptos jurant partem Domini Imperatoris, & Civitatem Domini Imperatoris arbitrio disponendam committunt. Nunc guerra maxima incipitur; Lombardi favent Comiti, Dominus autem Eccelinus se viriliter defendit.

*De Alberico de Romano Eccelini fratre.*

**M**odd̄ redeat calamus ad Dominum Albericum. Ipse enim in exercitu suo eligi fecit Potestatem, sicut sacramento tenebatur adfriðus, & electus fuit Dominus Ubertus de Concorezo, civis Mediolanensis. Qui cùm venisset, factō jam sui regiminis sacramento, & esset in domo, & palatio Communis pro Potestate, ortā rixā in Civitate, eo quòd pars adversa Dominorum de Romano favere nolebat eidem, cucurrerunt Potestas Paduae pro suo Communi, & Dominus Zulianus Rainaldi Osterii pro sua Communantia de Verona, & coptā discordiā, licentiato prædicto Domino Uberto, sibi suo factō ante soluto, eligerunt Dominum Philippum Zulianum de Venetiis in Potestatem, virum discretum, & audaciæ maximæ. Hic bene, & cum maximo vigore rexit Civitatem Vicentia.

Tempore istius conspiraverunt quidam contra Dominum Albericum, & ejus Masnatum, & faciebant se vocari *Partem liberorum*: & altera Pars dicebatur *Masnata*. Sumserant enim audaciam ob id, quod inter Dominum Eccelinum, & Dominum Albericum steterat quædam indignatio; & in tantum exolevit stultitia, & ipsorum præsumtio, quòd nedum Masnatis; sed & Domino Alberico minabantur. Dominus autem Eccelinus, tamquam providus, & discretus, naturali ratione, & fraterna motus affectione, non habito respectu ad præcedentem indignationem, violenter & manu potenti Baxianum intravit, ipsosque proditores expugnando superavit. Quidam fuerunt perempti, quidam capti, & ceteri fugati sunt de Baxiano, qui fugerunt alii ad Comitem Sancti Bonifacii, alii ad Marchionem Estensem, alii ad Dominum Tisonem de Campo Sancti Petri, propter quod à Sapientibus suscepentes tales de proditione prædicta creduntur autores. Venerunt etiam quamplures ad Civitatem, conquerendo de Domino Eccelino, & Domino Alberico, & sua Masnata, allegando, quòd non habebat ibi Dominus Albericus Comitatum, nec jurisdictionem aliquam. Dominus autem Philippus Zulianus Potestas vocavit Dominum Eccelinum, & Dominum Albericum ad sua mandata, & alteram partem similiter. Et

*f.13'*  
A quamvis Dominus Eccelinus de sua non fuisset jurisdictione: tamen vénit ad mandata ipsius, cui pro se, & parte sua, maxima pignora præcepit, & juratores quamplures, & alteri parti similiter pignora præcepit, & juratores. Et in fine auditis, & cognitis propositis hinc inde, definitivâ sententiâ, in plena concione pronunciavit Potestas, Comitatum, & jurisdictionem Baxiani esse Domini Alberici, & ad ipsum pertinere. Dominum autem Eccelinum pro se & parte sua, & juratores illius condemnavit pro banno Communis in sex millia librarum denariorum Veronensem: alteram autem partem condemnavit in duo millia librarum, & ipsa ab omnibus bene exegit.

B Tempore istius Paduani, Vicentini, & Mantuani moverunt exercitum contra Veronam, & Dominum Eccelinum; expugnaverunt Portum, & Lignagum, comburendo, deprædando, & omnia destruendo: & sic Dominus Eccelinus rediit ad Civitatem, ibique se defendit. Itaque ad Civitatem ire non auderunt, circumcirca tamen damna gravissima intulerunt, & revertuntur ad patrias.

C Mutatur Potestaria Domini Philippi Zuliani, cui succedit Dominus Guido de Rode, civis Mediolanensis. Timens autem iste potentiam Magnatorum, credens planius regere Civitatem, Magnates quamplures misit in Lombardiam, præcipiens eisdem in banno, & sacramento, quòd sinè sui licentia non auderent reverti, & fuerunt ex utraque parte Magnates, (53) inter quos fuit Ugutio Pilii, Dominus Petrus Comes, Siginfredus de Arzignano, Dominus Panenbachus de Drissino, Ugo-linus Amistadis de Berica, & Dominus Artus de Vivario; sed iste propter infirmitatem cum licentia Domini Guidonis reversus fuit. Alii autem, ad invicem contra Potestatem conspirantes, sinè Potestatis licentia redierunt, talis videlicet propositi, quòd mandata Potestatis propter hoc non jurabunt. Et sic Potestas iratus ipsos coram se convocavit venturos, qui omnes unanimiter ipsum contemnendo, coram ipso venire contemserunt. Unde ipse illis banna, & pœnam maximam imponit, nisi ad diem certam venirent pro omnibus suis præceptis observandis. Quod & ipsi totum pro nihil reputaverunt, & omnes apud Monticulum cum Domino Ugutione commorantur. Ipse autem Potestas, non immitiò indignatus, equitavit contra ipsos.

D Interim venerunt Paduani, & cum sacramento reverenter astrixi ad adjuvandum Potestatem, induxerunt prædictos ad jurandum præcepta Potestatis: hac tamen intentione, quòd ipsi Paduani promiserunt eisdem de hoc facto ipsos indemnes conservare. Quo facto redit Potestas, & ipsi omnes ad Civitatem. Et cùm Potestas banna sua, in quibus incidabant, ab illis vellet exigere, & punire de tanto commisso, Paduani hoc ei facere vetuerunt, quod profectò immoderatè, nec immitiò, fuit sibi molestum. Sed & ipse aliud facere non poterat: tanta erat potentia Paduanorum, quoniam Civitatem quasi occupatam tenebant, & omnes munitiones Civitatis custodiebantur per Paduanos Cives, expensis tamen Vicentinorum.

E Huic succedit Dominus Gulielmus Sivoltus.

(53) Adderem expulsi.  
Tom. VIII.

tus. Sub isto vénit Comes Rizardus de Sancto Bonifacio ad Lonicum, & turrim partis illorum de Romano destruxit, & adversam partem posuit in Castro. Tunc temporis, cùm precibus, & amore meo Bonifacius de Orbania cum quibusdam suis sociis esset cum garnimento apud Baxianum cum Domino Alberico, placuit eidem Domino Alberico, quòd idem Bonifacius veniret cum Erro de Lonico, & si possent intrare Castrum, quòd hoc facerent velociter. Ipsi autem minus cautè venientes, intraverunt Villam, ignorantés, quòd Comes esset ibi, & haberet ipsam occupatam. Cùm autem cognitus fuisset, idem Bonifacius vix evasit, & cum tanto periculo, quòd vix posset ab ignorantibus credi. Captus fuit Scutifer ipsius, amisit equum, & arma, & viginti sex solidos magnorum Venetorum. Socius autem unus ejusdem alium equum amisit & arma, & vix, & inermis evasit. Duo alii sui socii capti fuerunt per Comitem, qui tradidit illos Marchioni, & ipse eos decollari fecit. De hoc nullum habui ego, cuius erat damnum, nec ipse aliquod restauramentum adhuc; & in veritate damnum fuit, finè morte virorum, ducentarum librarum, & ultra. Eodem autem tempore pars Dominorum de Romano, expulsis aliis de Castro, occupaverunt illud: altera autem pars, collectis amicis à Comite, & aliis amicis, obsidebant illos, qui erant in Castro, & cum machina, quam posuerant in domo mea propria, lapidabant intus Castrum, & hanc machinam miserat illis Comes cum hominibus de Sancto Bonifacio. Exierunt tum quidam de Castro, & quidam venerunt ab altera parte contra illos, quosdam occiderunt, & boves abstulerunt, & machinam: & sic omnes versi fuerunt in fugam. Petitur nunc Castrum per Potestatem Vicentiae: & per Paduanos illis, qui intraverunt de novo, quamvis prioribus nihil dictum fuisset, cum effectu redditur Castrum Potestati, & Paduanis. Ponunt ibi Paduanii custodes ad expensas Communis Lonici, & ambæ partes morantur in Villa, quæ ad invicem damna sibi dabant, & dari faciebant occultè per extraneos, excusando se se, quòd non erant culpabiles. Unde consilio Paduanorum, qui erant Capitanei tunc in Civitate, & cum consilio suæ Curiae, & consilio Civitatis, idem Dominus Gulielmus tale firmavit Statutum, videlicet, quòd si cui partium damnum daretur de cetero alterutri partium, quòd Dominus Tiso, filius Domini Alberici de Lanfranco pro parte sua cum illis totum damnum restituere debeat illi, qui damnum passus fuerit ex altera parte: & Dominus Gabriel de Lonico eodem modo pro sua parte facere debeat; & sic illis fecit nuntiari.

Post hæc, cùm boves mei essent de parabola Capitanei Castri in pratis Lonici, pro vehendo fœno, consilio illorum de parte Comitis, qui erant meliores boves totius Lonici, Comes misit milites, & abstulit boves meos, & dedit illos illi, cuius fuerant boves, qui machinam traxerunt memoratam. Dominus autem Gulielmus prædictum Tisonem condemnavit in restitutionem mihi faciendam, & ipsum fecit sic banniri, quòd exire (54) de Baxiano non posset, nisi primò damnum restituat, secundùm sententiam: quæ sententia

A nondum mandata est executioni, propter nimiam potentiam, quam idem Tiso habet, & habuit in Curia. Sub Potestaria istius divinitus combuxit totum Castrum Calderii cum magna virorum, & mulierum multitudine, quod & Dominus Eccelinus festinanter occupavit.

B Tempore isto vénit Dominus Imperator apud Portum Naonem, & ivit ad illum Dominus Albericus, qui magnificè per ipsum receptus est. Et cùm de pluribus ad invicem loquerentur, inter cetera, quæ Dominus Albericus dixerat, dixit eidem, quòd poterat intrare Veronam, & habere ipsam ad suam voluntatem, quia Dominus Eccelinus frater suus erat ibi, & ad honorem Imperatoris defendebat illam à Comite Sancti Bonifacii, & Lombardis, cum quibus jam communiter conspiraverat contra eundem Dominum Imperatorem. Ad hoc respondit Dominus Imperator: Bene dicis, & verum est, quòd potestis eam mibi dare, & quòd possum intrare illam; sed non habeo in præsenti tantam gentem, quòd honorificè possem eam tenere. Foret enim maximum obprobrium Imperatoria Majestati nostra, si homines nostri possent nos ibi obsidere securi, vel nobis impunè resistere; sed placet nobis, quòd defendatis ipsam usque ad tale tempus, tempore designato. Et ibi usque ad illud tempus veniam cum tam horribili genitum multitudine, quòd nobis non inveniemus resistere valentes: quod & se facturum pro se, & fratre Dominus Albericus promisit eidem. Revertitur Dominus Imperator, & Dominus Eccelinus detinet Civitatem Veronæ.

C Tempore isto Paduani cum Vicentinis obsiderunt Rivaltam, & habuerunt eam à Domino Ugutione, cuius erat, tali pacto, quòd sibi debebat restitui. Et quamvis valde dissipatam, tamen Paduani eam restituerunt Domino Ugutioni de Crescentiis, cuius erat, qui tamquam prudens, & discretus, atque vir, & miles fortissimus, & omni largitate decorus, ipsum locum valde fortius solito munivit, ipsamque inimicis suis omnibus invitatis detinet honorificè, & cum magno vigore.

D Exiit iste de Potestaria, successit huic Henricus de Rivilis, & facit guerram Domino Alberico, sicut (55) potest, & adjuvat Comitem Sancti Bonifacii contra Veronam. Ugutio autem Pilii & ipse modis omnibus, quibus potest, palam, & occultè ludit Dominos de Romano, & vilipendendo ipsos verbis & factis, multa illis inferendo obprobria indecentia.

E Paduani autem tunc valde inimicabantur Tarvisinis. Unde Dominus Albericus contra Paduanos conspiravit cum Tarvisini; & die quadam, secundum voluntatem Tarvisinorum, ipse cum militibus suis equitavit ad Cittadellam, & ante portam bello, ac prælio commissis, ibi egregiè ac fortiter pugnavit Dominus Albericus, & circum circa ipsam combuxit, sanuque & incolmis reversus est Baxianum. Et est notandum, quòd usque ad illam diem hostiliter, & palam non audiebant Tarvisini, nec Vicentini lädere Dominos de Romano, ad quorum prohibitionem forte multum faciebant literæ, quas ego pro ipsis impetraverau apud Precinam à Domino nostro præsenti Invictissimo

(54) Forte banno.

(55) Sive patet.

Imperatore, & semper Augusto, de protectione ipsorum, sigillatas cum bulla optimi auri, tenor quarum talis est:

Literæ Federici Imperatoris semper Augusti.

**F**edericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Sicilia Rex. Cùm in conspectu Principum Orbis terræ fides clareat subditorum, quæ meritis insignit dominum, & suis imitationibus favorem dominantis acquirit, eò potius fidelium est facienda devotio, & prærogativâ gratiâ munenda, qui se non dubitant pro suorum fidelitate, ac servitio Dominorum inter dubios vitæ casus exponere, non parcentes rebus pariter, vel personis, ut vivere ac mori pro Dominis summam reputent gloriam & honorem. Hinc est igitur, quod nos habentes præ oculis fidem puram, & sinceram dilectionem Eccelini de Romano, & Alberici Fratris ejus, nostrorum expertorum fidelium, quam pro nostro, & Imperii servitio demonstraverunt, personas, & omnia bona eorum nostris, & Imperii honoribus exponentes; attentes insuper, quod indefessis laboribus pro nostra, & Imperii fidelitate inconcussè persistunt: ipsos, familias eorum, homines, Castra, Villas, possessiones, & omnia bona eorum, sub nostra, & Imperii protectione, & defensione recepimus speciali, universis, & singulis auctoritate præsentium inhibentes, quatenus nullus Marchio, Comes, Potestas, Rektor, Persona sublimis, vel humilis, Ecclesiastica, vel Mundana ipsos offendere in personis, vel rebus, seu guerram, vel damnum inferre, aut in aliquo contra præsentis protectionis, & defensionis nostræ paginam molestare, vel impedire præsumant. (56) Quodque præsumserit, in sua temeritatis vindictam ducentas libras auri compositurum se cognoscat, medietatem videlicet Fisco nostro, & reliquam medietatem injuriam patienti. Ad hujus itaque nostræ protectionis memoriam, & perpetuam firmitatem, præsens privilegium fieri, & bullâ aureâ, typario nostræ Majestatis impressâ, jussimus communiri. Hujus rei etiam sunt (57) Hert Panormitanus, & Jacobus Capuanus Archiepiscopi, Comes Thomas de Acerra, Comes Simon de Tetis, Comes Gerrardus de.... (58) Gerrardus de Arnescen Sacri Imperii in Italia Legatus, Comes Antebonus, Manfredus Marchio Laniza (59), Bacem Camerarius, & alii quamplures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Decembri sextæ Indictionis, Imperante Domino nostro Federico Imperatore semper Augusto, Hierusalem, & Siciliæ Rege, Anno Imperii ejus tertiodecimo, Regni Hierusalem octavo, Regni verò Siciliæ trigesimo quinto feliciter. Amen.

Data apud Precinam Anno, mense, & Indictione præscriptis.

Sunt & literæ tales, videlicet:

Literæ aliæ ejusdem Federici Imperatoris semper Augusti ad Episcopos Paduanum, Vicentinum, & Tarvisinum.

**F**edericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ

(56) Forte, Quique, aut Quid si quis.

(57) Lege Teites.

(58) Forte de Camino.

A Rex, Venerabilibus Paduano, Vicentino, & Tarvisino Episcopis, fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem.

Notum facimus fidelitati vestræ, quod, cùm expertos fideles nostros Eccelinum de Romano, & Albericum fratrem ejus sub nostra, & Imperii protectione recepimus speciali cum omnibus bonis suis, sicut in indulta sibi protectionis privilegio continetur, volentes, quod nullus in ipsis partibus se valeat per ignorantiam excusare, fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus sub debito fidei, & juramenti nobis, & Imperio (60) præstati, injungentes, quatenus unusquisque vestrum privilegium protectionis ejusdem beatissimæ solemniter publicare, & auctoritate nostra cunctis præcipiatis ab omnibus observari, denuntiantes transgressoribus, quod pœnam in privilegio contentam non evadent. Ipsum vero privilegium ad opus prædictorum fidelium, & insuper præsentes literas resigabitis portatori, ut industriam singulorum possimus exinde commendare.

Data Porcinæ (61) tertio Decembris, sexta Indictione.

Has literas finè mandato, propriis expensis, impetravi ego, de quibus, & omnibus obsequiis præcedentibus expecto adhuc remunerationem.

Post hæc autem paravit exercitum Commune Paduæ, vénitque Baxianum, & Commune Vicentia cum illis vénit ad Monticulum Precalcini, & tunc intolerabile damnum datum fuit in Baxiano, & Muxolento illis de Romano. Verumtamen, antequam reverterentur Paduani milites, Tarvisini venerunt in succursum Domino Alberico. Qui Dominus Albericus, tamquam fortis, & audacissimus miles, exivit contra Paduanos; & bello commisso, ibi mirabiliter, & more Leonis pugnavit: multisque ibi milites de majoribus, & melioribus Paduanorum cepit, quos carceratos habuit in Baxiano, & postea dedit illos Tarvisinis, qui duxerunt ipsos secum, & ibi fuerunt in compedibus positi, & carcerati. Paduani autem cum opprobrio separati, reversi sunt ad patriam suam, & Vicentini similiter.

Tunc vénit Dominus Eccelinus cum Venerabilibus, quos regebat apud Sanctum Bonifacium, & cum illis, tamquam miles fortissimus debellavit, & partem munitionis Castrum combuxit violenter: sic & ipse reversus est cum suis. In bello autem facto apud Baxianum, meis precibus erat cum Domino Alberico quidam Bonifaciū de Orbana, cui ego equos dabam & arma; & ipse mei amoris intuitu, præter etiam voluntatem Domini sui Domini Marchionis Estensis, serviebat Dominos de Romano in omnibus illorum factis, & guarnimentis, unde Marchio ipsum habebat valde exosum. Hic, cùm esset in prælio, sic enormiter cum lancea inimicos, & eorum equos vulnerabat, quod inde condoluit, & lancea dejecta, evaginato ense, infra hostes, ubi erat etiam multitudo maxima militum, cucurrit, & Samaritanum nobilem militem, magnum, & fortis cepit ad collum, & violenter ipsum duxit ad suos, non timens innumerabiles ictus, quos ab inimicis recipiebat, ipsumque dedit, & designavit Domino Alberico.

(59) Lege Lanzia, vel Lancea.

(60) Mel. præfitti.

(61) Supra legitur Precinæ.

rico. Qui, postquam captus fuit, cognovit eum, quod sibi erat nimia parentela coniunctus; sed nihil sibi profuit, cum non poterat post captionem per ipsum decenter dimitti. Unde nihilominus ipsum Domino Alberico designavit.

In hoc facto, cum duceret illum captum, quidam Bonacursius de Folzasse sic enormiter per invidiam equum captivi vulneravit retro, quod valens fanus ultra libras centum, taliter vulneratus datus fuit pro XV. Equus autem Bonifacii in pede retro vulneratus fuit, nec postea fuit alicujus valentiae. Item alium dextrarium similiter, quod pro illo facto emeram eidem, in diebus illis equitando sic devastavit, quod penitus nullius erat momenti, & ad nihilum deveni de ipso. Et de hoc facto adhuc expecto remunerationem. Ille autem Bonifacius seculo renuntiavit, & Domino serviens meliorem partem elegit.

*De potentia Paduanorum.*

**T**unc temporis tanta erat potentia, & superbia Paduanorum, quod non solùm Vicentiam sub occasione innocentiae tenebant occupatam, verum etiam Feltrem, & Bellunum, & Coneglanum violenter sub sua jurisdictione usurpaverant. Conspiraverant etiam cum Aquileiensi Patriarcha, & cum his omnibus contra Tarvisium, & illos de Romano, guerram maximam illis faciendo continuè.

*De Fratre Joanne Vicentino, viro valde religioso.*

**I**ntrum apparuit quidam Frater Joannes de Ordine Prædicatorum, civis Vicentinus, & Manelini Causidici filius, vir valde religiosus, de quo mira, sed in Scena testificata loquar. Inauditum est enim, quod à tempore Nostri Domini Jesu Christi in nomine ipsius, per alicujus prædicationem tot fuissent insimul homines congregati, quot & quantos sub occasione pacis fiendæ, ipse congregavit in unum, unanimiter Jesum Christum laudibus, & hymnis magnificantes. Vénit enim primùm Paduæ, & ibi prædicando pacem, de omni discordia, quam habebant, compromiserunt in eumdem suo arbitrio determinanda. Vénit Tarvisium, fecerunt Tarvisini illud idem. Sic fecerunt Feltrini, & Bellunenses. Sic quoque Domini de Camino. Sic & illi de Conegiano; & idem fecerunt Domini de Romano. Idem quoque Vicentini, Veronenses, Mantuanæ, Brixianæ, & Comes Sancti Bonifacii, & ejus pars universa. Tantam habuit potestatem super omnes, quod in omni Civitate, Statutis ipsarum acceptis, suo emendavit arbitrio, addendo, & detrahendo. Captivos autem, ubicumque fuerant, dimitti fecit. Et statuit certum terminum pro pace facienda, & firmanda apud Civitatem Veronæ, præcipiendo prædictis Civitatibus, & personis, quod essent tunc ibi coram eo pro prædicatione audienda, & laudum pacis inter omnes.

Fuit ibi Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Tarvisium, Feltrini, & Bellunenses, & Domini de Romano, & illi de Camino: Paduani: & de aliis Civitatibus, Castris, & Villis homines, & fœminæ innumerati. Fuit & ibi

(62) Forte communitatem, vel communem.

A Aquileiensis Patriarcha cum omnibus Episcopis prædictarum Civitatum. Fuit ibi Marchio Estenfis, & Frater Jordanus: Presbyteri quoque, & Clerici, milites, & populares: omnes ferè istarum Civitatum inermes, & cum vexillis cruciatis fuerunt ibidem. Tanta fuit ibi innumerosa multitudo, quod (sicut dictum est) à tempore Jesu Christi, in hoc, per alicujus prædicationem tot non fuerunt congregati in unum: & in reverentiam ipsius pro majori parte fuerant discalciati. Erant quoque Civitates cum Carrociis suis quamplures.

Prædicavit inter illos, & (quod est mirabile) vox illius ab omnibus audiebatur mirabiliter, & clarissime. Facta prædicatione pacem pronuntiavit, & laudavit inter omnes, & ordinavit tunc matrimonium inter Dominam Adelhitam, filiam Domini Alberici de Romano, & Rainaldum filium Marchionis Estenfis. Cujus dictum ab omnibus cum magnis laudibus fuit gratissime confirmatum. Ipse autem transgressoribus anathematis pœnam, & Jesu Christi indignationem, & omnem maledictionem indixit: conservantibus autem, Dei Omnipotens gratiam, & suam benedictionem concessit, & sic revertuntur ad patriam, quisque ad locum suum, magnificantes Deum, & eidem gratias referendo. Multi enim mortales inimici, proprio motu pacem faciendo, osculabantur ad invicem, prædicatione ipsius ad hoc inspirati: habebatur enim quasi Propheta per omnes. Hujus etiam tanta fama erat, quod etiam Dominus Apostolicus reverebatur eidem. Nec mirum, quia Fratres Minores publicè prædicabant (sicut & egomet ipsos audivi prædicatorum apud Ecclesiam Majorem Civitatis Vicentiae) quod ejus precibus, & orationibus decem fuerant mortui suscitati. Et à languoribus suis infirmi, per orationes illius, mirabiliter curabantur.

Hoc facto, vénit idem Frater Joannes Vicentiam, & dixit in pleno Consilio, quod volebat esse Dux, & Comes illius Civitatis, & omnia suo arbitrio disponere, quod totum ei laudatum fuit, atque concessum. Unde tunc acceptis Statutis Civitatis, sicut voluit, emendavit, addidit, detraxit. Et Vicentini sperantes, quod removeret, & poneret ibi aliam (62) communionem, per quam utraque pars communiter regeretur, ipse hoc prætermisso, factis Statutis, & Ordinamentis ivit Veronam, ibique similiter petiit Ducatum, & Potestariam illius Terræ, quod factum est, & concessum eidem. Fecit venire Comitem, & partem ipsius in Civitate: accepit obsides ab utraque parte: accepit in se Castrum Sancti Bonifacii, & Castrum Illaxii, & Hostiliam, & omnes munitiones, sicut voluit. Hic persecutor fuit ibi hæreticorum, sic, quod plures comburi fecit. Pluribus diebus rexerit Civitatem, habendo se Ducem, atque Rectorem, & tamquam Dux, & Rector multa Præcepta fecit, & Statuta. Tamdem elegit Nicolaum Toniscum in Potestatem Veronæ, de Venetiis civem. Cum autem multum redargueretur, quod sic reliquerat Civitatem Vicentiae, Potestate non mutata, & vellet habere Ducatum ibi sibi concessum. Ugutio Pili, & illi de Camino, & Paduani consilio Fratris Jordani, cuius consilio Paduani regebantur in totum, induxerunt Potestatem Vicentiae, & partem con-

contrariam illis de Romano ad contradicendum eidem Fratri Joanni. Et sic fecit venire Potestas custodes cives Paduæ, & munivit Civitatem fortius solito. Hoc audito, Frater Joannes minùs cautè, & cum parva militum quantitate, vénit ad Civitatem Vicentiaæ, cui obviauit maxima populi multitudo. Ipse autem credens habere favorem, atque constantiam populi in propria persona, cœpit ire per Civitatem, petendo domos, turres, & munitio[n]es sibi dari. Cùm autem venisset ad domos filiorum quondam Domini de Zachame, illi sibi rebelles exstiterunt. Vénit ad domum Communis turba, quæ sequebatur ipsum, & capta Potestate, suis Judicibus, & familia, & expoliatis & destructis libris Statutorum, & Forbannitorum Communis Vicentiaæ, descendederunt de domo, Potestate & sua familia relictis expoliatis. Interim venerunt Paduani cum Ugutione Pilii, & adversa parte illorum de Romano, & in ipsum Fratrem Joannem, ad Palatum Episcopatus, ubi erat, fecerunt insultum, &, bello commisso, captus est Frater Joannes, & sui omnes versi sunt in fugam. Veronenses autem audito, quòd captus erat Frater Joannes, extimantes, quòd consilio Comitis de Sancto Bonifacio, & suæ partis illud factum fuisset, ceperunt omnes, qui venerant ad Civitatem de parte Comitis, qui fuerunt alicujus valentiaæ; sed reverso Fratre Joanne, & invento, quòd culpabiles non fuerant, omnes dimissi fuerunt incontinenti. Ipsi autem timore perterriti fugiunt omnes de Civitate. Ipse autem Frater Joannes regit Civitatem, sicut potest, sua Potestate ibi posita pro nihilo reputata. Obsides autem Monticulorum, & suæ partis hoc audito clam, & occulte reversi sunt ad Civitatem.

Instat nunc Comes, quòd sibi reddat obsides suos, & Castra similiter. Frater autem Joannes munierat Castrum Hostiliæ per Bononienses, & Castra Comitis, & Illaxii per amicos suos Vicentinos. Castrum Calderii, & Castrum Sancti Bonifacii restituit Comiti, quamvis fuisset ficticiè factum, quasi invitis custodibus fuisset ablatum. Item obsides eidem restituit. Castrum Illaxii restituit Veronensisbus; sed Castrum Hostiliæ non restituit Veronensisbus: sique dimisis Veronensisbus, & Vicentinis, ivit Bononiam; & sic Ugutio Pilii, Paduani consilio Fratris Jordani, & illi de Camino fregerunt pacem Fratris Joannis; sique pro nihilo reputatum est factum Fratris Joannis. Hoc totum propterea creditur (63) accessisse, quòd ambitiosè petiit Ducatum ab hominibus, contra dictum Salomonis, qui dixit: *Non petas Ducatum ab hominibus.*

Nunc guerra gravior revivixit (64) undique folito more. Dominus autem Eccelinus iterum vadit Veronam in succursum amicorum suorum, & regit Civitatem: Dominus Albericus cum magno guarnimento moratur Baxianum, & in terris suis.

Mutatur Potestas Vicentiaæ; succedit illi Arditio Advocatus de Vercellis, cuius tempore Dominus Albericus præter consilium amicorum suorum de Vicentia, fecit colloquium cum Ugutione Pilii, videntibus (65) hoc magna quantitate amicorum, qui de hoc valde

(63) Mel. accidisse.

(64) Pro revixit.

(65) Pro vidente.

{66} Legunt aliqui de Caxatio: *Alii de Coxatio.*

A dolebant. Et tunc ipsorum amor erga ipsum Dominum Albericum valde refrigeravit. Et tunc consilio ejusdem Ugutionis conspiravit cum eodem, & Comite Guidone, & illis de Drissino, & Arzignano, & cum maxima quantitate Magnatum intus, & extra Civitatem, inter quos erat Albertus (66) de Celsano, & illi de (67) Bragantiis. Indignati sunt amici illorum de Romano valde, quorum consilio hoc factum non fuerat. Et quia conspiratio fiebat contra Usurarios, cum illis sociati sunt amici Domini Alberici, & induxerunt Potestatem ad puniendos ipsos. Qui cùm citari fecisset illos, ipsi contemnendo ipsum, coadunati sunt apud Monticulum, auctore contradictoris principe existente prædicto Ugutione. Tunc venerunt Paduani, & fecerunt ipsos jurare præcepta Potestatis, & Communis Vicentiaæ; sed tamen non dimiserunt Potestatem illos punire, de quo valde sunt indignati Usurarii, & eorum sequaces. Nunc regitur Civitas consilio Usurariorum, & illorum, qui sequuntur illos, per prædictum Potestatem.

Cùm autem mutari debebat (68) Potestas, amici veteres Dominorum de Romano, consilio alterius partis, & omnium Usurariorum, dixerunt Domino Alberico, quòd volebant ipsum eligere in Potestatem, & dare sibi dominium, & regimen Civitatis, si ipse vult Ugutionem dimittere, cum quo conspiraverat, & facere rationem de usuris secundum jura, & consuetudinem, & Statuta Vicentiaæ. Qui Dominus Albericus, quamvis aliquando talibus verbis (69) amissis, & aliis, quibus promiserat: ipsi vero videntes, quòd non potuerant diu resistere tantis Magnatibus, putantes se se melius defendere, conspiraverunt & ipsi contra Magnates, & Dominum Albericum, & primò corruerunt Albertum de Celsano, qui pro certa pecunia quantitate fregit fidem promissam. & juravit esse cum Usurariis.

D Postea, cùm tractaretur de eligendo Potestate, consilio Ugutionis Pilii, electus fuit Frater Jordanus, qui eligeret Potestatem, affirmans ipse Ugutio, quòd Frater Jordanus non eligit Marchionem. Jam enim clandestinè & ipse fregerat fidem illis de Romano, & sine illis veniebat ad Consilia Civitatis, dicens illis, quòd melius erat, quòd ipse ibi esset: & sic Frater Jordanus commisit electionem Fratris Joanni de Verzario, qui Marchionem Azonem elegit, sicut creditur, quod erat statutum cum ipso Ugutione, & cum Usurariis in detrimentum illorum de Romano (70). Et cùm usque ad electionem diceret idem Ugutio, quòd Marchio esse non posset, minime ipse voluit electori contradicere, sicut fecit Aldrigetus de Drissino, qui se appellavit ab illa electione: immo statim factus est amicus Marchionis præ ceteris contra Dominos de Romano: & cum Usurariis omne malum, quod potest, dicit & factis operatur adversus illos, & amicos eorum Dominorum: & sic juravit sequimentum Marchionis, aliis demissis & contentis.

E Tunc Legati venerunt Domini Papæ, qui pacem fecerunt inter Veronenses in aqua, & navibus; sed pars Comitis voluit intrare Civitatem, unde guerra nihilominus perseveravit,

(67) Bragantiis alii.

(68) Pro deberet.

(69) Fortè annuisset.

(70) Mel. Nam cùm &c.

vit, & meritò pax non duravit, quia in aqua facta, rediit in aquam.

Venient nunc Domini Nicolaus Episcopus Reginus, & Tyso Episcopus Tervisinus, & intromittunt se de pace facienda ex ammonitione Domini Papæ, qui tantum suâ prudenter fuerunt adoperati, quod pacem fererunt, & Comitem, & suam partem reverti fecerunt ad Civitatem, dando & concedendo Comiti, & suæ parti domos, turres, & munitio-nes, etiam partis Monticulorum, quascumque voluerunt habere, ad hoc, ut in Civitate manerent securi. Item pro Domino Papa ibi Potestatem posuerunt, & pronuntiaverunt tunc concorditer, quod Castrum (71) Hilasii destrui deberet, quod postea per Potestatem possum destructum fuit. Regebat autem iste pacifice Civitatem, donec fuit manifestè proditor inventus, ut infra dicetur, & ob id, sicut infra dicetur, remotus fuit per Dominum Eccelinum, & ejus partem.

Nunc Marchio cum Ugutione Pilii, & Usurariis facit guerram Domino Alberico, & Comiti, qui cum eo tenet. Corrumpt illos de Bregantibus, qui confueverant esse amici Dominorum de Romano, & amicos eorum.

Et tunc filii quondam Anselmi de Bregantibus vendiderunt Castrum Plovenis Communi Vicentiae, quamvis illud ante vendidissent Comitissæ Vicentinæ. Corrumpt etiam Sigifredum de Arzignano cum nepotibus. Pauci sunt, qui teneant fidem Domino Alberico, & Comiti Vicentino; & omnes ferè venerunt ad mandata Marchionis, timentes potentiam suam propter Paduanos, & istos, qui primò fidem promissam fregerunt. Nunc guerra magna est inter Cives, & Dominum Albericum, & Comitem, qui cum eo tenet. Quasi modò soli sunt Dominus Albericus, & Comes, qui contradicunt Marchioni, & civibus Vicentinis.

Tunc temporis Otho de Mandello, Potestas Paduae pro Communi Paduae, & Frater Jordanus de pace facienda inter Paduanos, & illos de Romano, & Vicentinos, & Tervisinos, & illos de Camino facti sunt mediatores. In qua pace Rainaldus, filius Marchionis Bonifacii (72), despontavit Dominam Adeletam, filiam Domini Alberici de Romano, quamvis Rainaldus non esset adhuc annorum duodecim. Et omnia ferè facta sunt inter Paduanos, & Dominos de Romano, & Tervisinos, & illos de Camino, sicut Frater Joannes statuerat. Verumtamen hic Frater Jordanus invidus, quod tantum bonum (73) pallium posset explicari, impediendo primum, quod statutum fuerat, fecit ipse postea, volens sibi laudes queri, atque honorem; sed certè malus fuit Hypocrita, sic perturbando, quoniam ante hanc pacem, quæ primò facta fuerat, usque ad hoc tempus, per guerram, quæ perseveravit, innumerabiles homines ex utraque parte gladio perierunt. Duxit autem Rainaldus ipsam Dominam in uxorem. Solverunt Paduanii Dominis de Romano quindecim millia libras denariorum Veronensem: & Tervisini illis de Camino, sicut præceperat Frater Joannes. Dominus autem Otho definitivus quæstio-

A nem inter Vicentinos Usurarios, modum certum imponendo in usurarum exactione, quamvis Usurarii illum modum observare noluissent; & tunc Dominus Eccelinus fecit se civem Paduae.

Modò facti sunt amici Dominus Eccelinus & Marchio, & Dominus Albericus. Verumtamen, inscio Domino Alberico eodem, idem Marchio, consilio Ugutionis Pilii, & Usuriorum fecit iterum se eligi in Potestatem, & post electionem, quam fieri de se fecerat, misit Domino Alberico, quod nolebat ipsam Potestariam ipso invito, nec volebat facere sacramentum regiminis, nisi sibi placeret. Ad hoc, tamquam vir providus, & cunctus omnia recognoscens, dixit, quod omnis honor Marchionis sibi placebat. Unde Marchio Potestariam sequentem taliter ambitiosè recepit, & juravit, & hoc fuit ante tempus eligendi Potestatem.

Tempore isto Dominus noster Imperator, cum esset in Alemannia, misit literas suas, continentes gratiam, & bonam voluntatem, Civitati, & Communi Vicentiae, præcipiendo, quod ad certum terminum deberent esse Vicentini ante ipsum apud Perniam. Ad quem terminum interesse non potuit propter guerram, quam faciebat Duci Austriae, & has literas vix Marchio voluit recipere. Post hæc Marchio cœpit habere suspectos veteres amicos Domini Alberici, ipsosque consilio Ugutionis Pilii, cuius consilio omnia faciebat, relegavit in Insulam (74) Venetis. inter quos suspectos & relegatos fuerunt Oldricus Carnaroli, Thomas Vincentii, qui & ibi perire morte naturali, Bonifacius de Sancto Uri, & plures alii. Præcepit autem filiis Meliorantiae de Drissino, quod non exirent de Civitate sine sui licentia. Ipsi autem hoc contemnentes, fugerunt ad Drissinum. Ugutionis autem consilio, & horratu Marchio bannivit illos, & post bannum ipsos hostiliter invasit, dando illis damna maxima in terris suis.

Tunc filii Anselmi de Bregantibus reversi sunt ad partem suam, & facti sunt amici Dominorum de Romano. Quibus & maxima damage dedit Marchio cum exercitu Vicentino in terris suis. Tum etiam Marchio valde .... (75) & fecit venire custodes de Padua ultra quingentos de novo, & specialiter de Terris suis. Post hæc Marchio consilio Ugutionis Pilii, clam (76) iecto, & habito tractatu cum Comite Sancti Bonifacii, & parte sua de Verona, qua pacifice in Civitate morabatur sub Potestate, quem ibi posuerant Episcopus Reginus, & Tervisinus, & cum Mantuanis & Paduanis, volentes capere Veronam, movit Marchio clam exercitum, & ivit usque ad Villam Montis-belli, expectando nuntium, quod rixa sit in civitate Veronæ commissa. Quæ cum commissa fuisset, & expectarent Marchionis succursum proditores, qui rixam commiserant, & incœperant: Dominus Eccelinus, qui confuevit etiam pro amicis (77) expōnere, hoc auditio, & cognito, palam hoc sciente Marchione, & tota Marchia, dimisssis, & contemtis omnibus possessionibus suis, cum paucis militibus, quasi volitando per aera, sic cele-

(71) *Alibi Illaxii.*

(72) *Bonifacii.* Scribendum *Azonis*, ut aliunde constat, & Monachus Paduanus testatur.

(73) *Legum nonnulli per alium.*

(74) *Pro Venetiis, sive Venetiarum.*

(75) *Supplent aliqui hauc lacunam legendo Timet, alii Tumet.*

(76) *Melius inito.*

(77) *Desideratur Vitam, sive Animam, ut infra, ubi inquirit etymologiam nominis Eccelinus.*

celeriter Veronam intravit, & alteram partem subjugavit, quod non habuit ab aliquibus, nec potuit habere succursum. Et ut miranda loquar, frigus erat intolerabile, glacies & nix gravior solito, nec transire poterat, nisi ante ipsum nix frangeretur, quam (78) fregi fecit per emtos effractores.

Revertitur Marchio contristatus. Potestas Veronae de proditione culpabilis inventus, captus fuit, & terram tradidit Nuntio Imperatoris, licentiata Potestate. Tervissini autem mittunt pro ipso, quod debeat redire sub poena destructionis omnium bonorum suorum. Ipse autem totum contemnendo, maluit omnia perdere, quam fidem Domino Imperatori promissam violare, & Veronam destructionis periculo dimittere. Unde Tervissini, Paduani, & Vicentini hostiliter contra Terras ipsas arma moventes, ejus Villas, Castra, & bona destruxerunt omnia, praeter Castra fortissima, quae destrui non potuerunt. Damnum autem illius tam enormiter dicitur existisse, quod credibili vix possit nuntiari loqua. Ipse autem totum pro nihilo reputando, magis & magis favebat Nuntio Imperatoris ibi praesenti, volens fidem promissam, & debitam fidelitatem Domino Imperatori modis omnibus, contempto rerum, & personæ, (79) illasam conservare. Revertuntur Paduani, Tervissini, & Vicentini ab exercitu.

Bannum posuit tunc Marchio, quod nullus audeat Imperatorem nominare, nec illius rationem tenere; & qui contra fecerit, etiam gladio percutiatur impunè.

Et tunc temporis vénit Imperator de Alemania, & intravit, & habuit Veronam, misitque Nuntios suos Vicentiam, scilicet Judicem Cyprianum, & Judicem Ranifredum, quos noluit Marchio recipere, nec literas Domini Imperatoris videre, sed potius bannum imposuit contra omnes, qui loquerentur eisdem Nuntiis Imperatoris. Et, ut verum loquar, ex parte Marchionis mihi Vassallus... Communis Vicentiae interdixit sub banno milie librarum, ne irem ad Episcopatum, ubi erat Dominus Cyprianus. Unde, cum non fuisset ausus ad Episcopatum ascendere, vocavi ipsum inferius, & ei consului de his, quae ipsum mihi fuerat visum facturum ad honorem Imperialis Majestatis. Iterumque consulendo misi sibi literas Baxianum, ubi erat. Marchio autem me illis diebus Paduam misit. Verum, quia gravi fueram tunc infirmitate detenus, precibus amicorum meorum, inspecta infirmitate, me redire dimisit; minabatur tamen me mittere in parte longiori, & graviori.

Tunc autem, cum Dominus Imperator vellet ire in Lombardiam, occurrerunt undique Lombardi, qui contradicunt eidem, totis viribus parati ad contradicendum sibi transitum, & itinera. Ipse autem cum suis militibus, & cum Veronensibus, illis de Romano existentibus juxta illos, transivit, nec fuerunt ausi pugnare cum ipso. Tunc cepit ipse Mercariam; & Episcopatum Mantuae, & Brixiae pro magna parte destruxit. Fuit prope Civitatem Mantuae, nec fuerunt ausi Mantuani exire Civitatem. Tamdem ivit in Lombardiam.

Nunc Paduani cupientes destruere Veronam, ut commodius ire possent ad eam obsi-

dendam, cum Tervissini, & Vicentinis venerunt cum exercitu, totis viribus parati contra Veronam, & apud Rivaltam, locum Domini Ugutionis de Crescentiis, castrametati sunt, illudque Castrum obsederunt diu strictissime. In quorum succursu venerunt Mantuani, atque plures Lombardi insimul contra Dominum Imperatorem fœderati, & conspirati. Nam illis diebus, consilio Ugutionis Pilii, dolosè & clandestinè fecerat Marchio jurare homines Vicentinos Societatem Lombardiae contra Imperatorem; quod semper homines de Vicentia in omni consilio facere denegabant. Unde Marchio ignorantibus, quid jurarent, fecit jurare Vicentinos, sicut continebatur in quodam Brevi. Sed cum cognoverunt, quod fecerat ipsos taliter jurare, statim cœperunt habere Dominum Marchionem exosum omnes Vicentini, exceptis illis, quorum consilio hoc faciebat, quorum nomina, si expediret, breviter possent nuntiari.

Et tunc Lombardi maxima damna dederunt Veronensibus in Episcopatu suo, & recesserunt. Dominus autem Eccelinus, cum esset ibi in Castro, dimissis tamen necessariis ad loci defensionem, ivit pro succursu, quem intus manentibus ad certam diem dare promisit. Illi autem succursum expectando, cum nimia resistebant audacia tot Civitatibus. Nam videntibus omnibus quandoque exibant de Castro, & vulnerabant, & occidebant quamplures de exercitu; immo etiam quinque ædificia contra ipsos Paduanos (80) parata ad læsionem, ipsis palam exequuntibus combusserunt cum maximo Paduanorum obprobrio; & intrabant, & exibant contra ipsos tamen quandocumque volebant. Aliunde autem exire non poterant, quia Dominus Eccelinus pontem destruxerat.

Misit ergo Dominus Eccelinus narrando negotium Domino Imperatori, qui iverat jam Cremonam, ipsius postulando subsidium, & juvamen. Quo auditio, ipse tamquam benignissimus Dominus, condolens cum fidelibus cruciatis, ira commotus propter nimiam audaciam infidelium, verè quasi per aëra volitando, cum toto suo exercitu sic celeriter succurrerit, quod à Cremona movit die Veneris, & vénit usque ad Sanctum Bonifacium, de quo parte combusta, ibi prope hospitatus est. Quo cognito Paduani, Vicentinis & Tervissinis ignorantibus, die Sabbati tempestivè cum Carroccio suo versi sunt in fugam; Vicentini autem, & Tervissini videntes Paduanorum fugam, & ipsi fugierunt, multa spolia in Campo, & ædificia omaia dimittendo. Cupiebat autem Marchio cum Vicentinis ad Civitatem redire, pro ipsa defendendo. Dominus autem Imperator, consilio sagacissimi Eccelini, sic festinanter eodem die Sabbati prævenit eosdem, quod ante fuit ad Civitatem cum pleno exercitu, quam Marchio etiam currendo ibi potuisset adesse. Cupiens autem benignissimus & misericors Dominus Imperator pacificum habere Civitatis introitum, nolens ipsam lèdere, ob id, quod manifestè cognoverat, quod Vicentini ad resistendum sibi ducebantur inviti, petiit à custodibus, & illis, qui erant intus Civitatem, & supra murum, quatenus sibi pacificum non denegarent ingressum. Qui cum penitus ei fuisset denegatus, hortatu Domini Eccelini, irato modo

præ-

(78) Pro Frangi.

(79) Adde discrimine, sive periculo.

Tom. VIII.

prœliando, per murum Civitatis violenter ascendendo, & descendendo intraverunt Civitatem, fugatis custodibus, & aliis Marchionis resistentibus, Civitatem combusserunt totam; omnia spolia tam virorum, quam fœminarum, & aurum, & argentum, omniaque mobilia sibi assumendo, & rapiendo.

Plures quoque ceperunt in illa hora, de quibus & ego, quamvis Imperatoris fidelissimus, per Theutonicos captum, & cum nimio obprobrio ligatum me fuisse recordor. Vidi & Albertum Datarum, Causidicum Vicentium, nudum captum per Theutonicos duci, atque ligatum. Et nos duo eramus digni non ligari, nec capi; sed potius per Dominum Imperatorem eramus magnificè honорandi, & remunerandi. Nam, cùm nullus palam concionari foret ausus in Civitate de statu & honore Imperatoris, nec vetare Societatem Lombardæ, ipse solus, & ego semper palam, & apertè, & in omni Consilio vetavimus Societatem Lombardæ faciendam, & dicebamus ea, quæ ad honorem & gloriam spectabant Imperatoris. Multos enim habebamus, de Societate non facienda contra Imperatorem sequaces, & tot & tantos, quod in omni Consilio obtinebamus, contra voluntatem etiam Marchionis, & aliorum malignantium. Quidam enim favebant Imperatori non propter ipsius amorem, sed propter invidiam. Exoscos enim habebant quidam Mediolanenses, & certos Lombardos, eo quod non contradixerunt Dominis de Romano, cum ceperant Civitatem Vicentiae; remoto Albrigero de Fuentia de Potestaria. Et in hac opinione erant omnes, qui non erant in partem Dominorum de Romano. Alii autem, sicut & ego, id faciebamus propter amorem Dominorum de Romano, & propter gloriam, & honorem, quem affectabamus Domini Imperatoris. Primi ergo, qui per invidiam faciebant, non erant laudibus commendandi, nec remunerandi; secundi sic, quia bono zelo justitiam prædicabant. Simile fuit de Christo. Pater videlicet tradidit & ipse semetipsum pro nostro amore, & ideo laudatur à Christianis quotidie: Judæi autem tradiderunt ipsum, sed per invidiam, & usque in hodiernum diem vituperantur, & malam remunerationem expectant. Modò mirum est valde, quod Albertus Datus de parte Marchionis jam recepit per Imperatorem initium mercedis sic in remunerationem bonam; & ego, qui sum de parte Dominorum de Romano, & Domini Imperatoris, quam (81) prædicando tuba fidelissima, sum omni parte destitutus. Ex quo enim literas cum bulla aurea de protectione Dominorum meorum de Romano impetravi apud Precinam ab ipso Domino Imperatore. Ego visâ justitiâ, quam super subditos suos exercebat, ejus gloriam, laudem, & suos justissimos mores publicè, tamquam forem de Ordine Prædicatorum, in prædicando Fidem Christi, non desivi prædicare Nuntiis suis, scilicet Domino Thomasio de Brandicio, & Fratri Bastiano (82) in honorem Imperatoris Majestatis, in suis beneplacitis obtuli me, & mea gratulante; sëpe ipsos cum militibus, & conducta condendo securos. Nunc, quia sum denudatus, & omnibus expoliatus, non me cognoscit Imperator,

(81) Melius prædico.  
(82) Adderem &c.

A non Domini de Romano, non propinqui, non affines, non amici, nisi pauci. Nunc mihi succurrat Dominus, qui cuncta creavit, & quidem (83) paucis populum multum bene pavit. Propinquis autem, & amicis graias ago copiosas, quoniam per hoc mihi libertatis munera tribuerunt. Cùm enim gratis illis meum tenebar impendere patrocinium, nunc ob id, quod per tres dies, ipsis videntibus, quasi nudus, & vilissima ueste coopertus ambulavi per Civitatem, nec inveni cooperorem, talis est mihi data libertas, quod nullis de cetero gratis meum patrocinium dare promitto, quamvis talis stipulatio de jure valeat cavillari. Paucos autem excipio, inter quos nominetur primus Dominus Balzanellus, filius quondam Domini Manfredini de Sancto Urso, qui primam uestem donavit. Secundus Dominus Singifredus, & Nepotes de Arzignano, qui pecuniam mihi dederunt ad recuperandos libros, quos perdideram. Tertius Jordanus de Vicario, qui pro victualibus mihi dedit de frumento. Quartus filii quondam Bartholomæi de Ziribello de Baxano, qui mihi donaverunt clamiæ. Excuso etiam Dominum nostrum Imperatorem propter ignorantiam, quia me notum non habuit. Illos quoque de Romano similiter excuso, propter majora eis imminentia. Illis enim sive pauper, sive dives, semper fui fidelis, & gratis servire paratus: quod & nunc me facturum promitto suo loco, & tempore, de remuneratione habenda remanendo securus, & certus.

Vidi quoque multas mulieres, & nobiles, & populares per Civitatem quasi nudas, & expoliatas transientes, scilicet viduas, virgines, nuptas, magnas, parvas, juvenes, & tenebris vita occupatas. Tantus ibi fuit timor, & tremor, quod alter alterum vix poterat recte cognoscere. Puniti fuerunt justi cum peccatoribus: quod quare fuerit, audire cupientibus breviter denotabo. Dictum est enim per Apollolum: *Estate subditi Regi, tamquam præcellenti.* Et Dominus dixit: Reddite, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsari. Unde cùm tributum daret Cæsari in terra, ubi erat, ipse, pro se fecit Cæsari dare tributum. Et in Decretis dicitur: *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, insequi vel ulcisci differimus, ad irascendum itaque divinitatis patientiam provocamus.* Nonne Achor, filius Zaræ, præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Iudaï ira ejus incubuit, & ille erat unus solus homo, & ut solus perisset in scelere suo. Mandaverat enim Dominus filiis Iudaï, quod expugnarent quondam Civitatem, ipsamque devictam cum omnibus intus inventis ignibus concremarent. Achor filius Zaræ, cùm invenisset auream linguam, nolens ipsam comburere, sub radicibus cuiusdam arboris ipsam abscondit. Statim tanta crevit clades, & pestilentia inter ipsos quod ex improviso ultra mille mortui ceciderunt. Tamdem putantes sapientes, quod Domini mandatum fuerat præteritum, profecerunt sortem, quæ Divino iudicio cecidit super Achor, unde morti condemnatus exalavit, & auream linguam combustam, statim cesavit clades. Sic fuit in facto præsenti. Dei præceptum fuerat per Vicentinos, & paucos contemnitum, cùm nollent esse subditi Imperator.

(83) Fortasse qui de paucis panibus.

MONUMENTA  
GERMANIAE

СЕМЕЙСТВО  
МОЛЮДИИ

М/20